MEMORIAM ANNIVERSARIAM

DEDICATAE

ANTE HOS CCLXXXVI ANNOS

SCHOLAE REGIAE AFRANAE

D. III. IUL. CIƆIƆCCCXXIX.

H. L. Q. C.

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

M. IOANNES THEOPHILUS KREYSSIG,

ILLUSTRIS SCHOLAE AFRANAE PROFESSOR [redacted]

Commentationis de C. Salustii Crispi Historiarum Lib. III. Fragmentis, ex bibliotheca Christinae, Suecorum Reginae, in Vaticanam translatis, Pars II.

MISENAE,

EX OFFICINA KLINKICHTII.

Quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat?

CICERO.

COMMENTATIONIS
DE
C. SALUSTII CRISPI
HISTORIARUM LIB. III. FRAGMENTIS,
EX BIBLIOTHECA CHRISTINAE, SUECORUM REGINAE,
IN VATICANAM TRANSLATIS,
PARS II.

ADNOTATIONES.

I.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 7. Bross. Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 67. et 71. atque Meissner. Spart. p. 30. et 54. sq.

Lin. 2. NITOR ERE QUIB·] NI IORRERE QUIT Bim. *m or Trequij* Dous. *m or trequii* Putsch. *mor Trequii* Gerl. Freinshemius omisit priorem huius fragmenti partem, quam Brossius, Salustium de fugitivorum armis raptim paratis hic egisse recte opinatus, ita vertit et supplevit: „Le „reste s'étoit armé de faux, de fourches, — ou à défaut de ceci, de pieux „aiguisés, de grosses perches, de masses ou autres outils de bois durcis „au feu, qui, *après leur avoir donné la pointe ou le tranchant nécessaire, „étoient propres à porter des coups presqu' aussi dangereux que le sont ceux „des armes de fer.*" Huc pertinent alia duo Salustii Historiarum fragmenta Vol. I. p. 191. sq. ed. Frotscher. n. 27. et 28. quae Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 62. inseruit, atque similia de Catilinae exercitu ab eo-

dem Salustio Cat. cap. 56. memoriae tradita leguntur. Brossium autem, ut illuc revertar, hic, quum literas IG in versus praecedentis fine positas fuisse existimaret, IGNI TORRERE et paullo post ACIEM NECESSARIAM scribendum censuisse, ex interpretatione eius apparet. Neutrum tamen, licet literae IG etiam Fr. VII. lin. 8. eodem loco exstent et Niebuhrii apographum utrique aliquatenus favere videatur, adsensione comprobare possum. Alterum enim, quum hastae sudesve, id quod ex Liv. I, 32. Caes. B. G. V, 40. Tacit. Ann. II. 14. et IV, 51. Curt. III, 2. Virg. Aen. VII, 524. Stat. Theb. IV, 64. aliisque locis intelligitur, non *igne torreri*, sed *praeuri* atque *igne durari* sive *indurari* dicantur, a Latinorum consuetudine abhorret, alterum, quum nunc de vera huius loci scriptura constet, nullo pacto admitti posse, ad lin. 3. docebimus. Praestat igitur, dum meliora et certiora succurrunt, fragmenti initium ita reparare, ut NITOR AERE scribamus atque fugitivos hastas et iscula, quum magna esset ferri inopia, aere praefixisse ac nitidiorem iis splendorem hoc modo addidisse putemus. Librarium enim, qui huius fragmenti lin. 16. PRESENTE pro PRAESENTE posuit et Fr. VIII. lin. 13. 14. EDIFICIS pro AEDIFICIIS posuisse videtur, hic etiam ERE pro AERE scripsisse, atque apographi Chevanei auctorem, qui Fr. III. lin. 5. 6. literas E et S temere geminavit, vacuo inter NITOR et ERE spatio, in quo Niebuhrius nulla liturae vestigia deprehendit, literam R inculcasse [1]), perquam probabile est. Ceterum de lectione *trequii*, quam Dousa praeeunte vulgares Salustii editiones offerunt, ita statuas necesse est, ut literas E et T, quae Fr. VI. lin. 19. contrario errore confunduntur, permutatas esse, atque literam B, cui quum schedae Chevanese T substituissent, QUIB· pro QUIT scribendum esse, priusquam Niebuhrii apographum nanciscerer, coniectura adsecutus sum, propter scripturae exolescentis obscuritatem in I literam abiisse existimes.

Lin. 3. SPECIEM BELLO NECESSARIA]S . . CIEM BELLO NECESSARIQ Bim. *sτciem bello necessàriam* Dous. *s r ciem necessariam* Putsch. omisso vocabulo *bello*, quod a nullo editore revocatum ne Brossium quidem, licet Bimardi exemplo uteretur, in huius loci interpretatione

1) Si litera R in schedis Vaticanis exstaret, multo certior esset huius loci emendatio, quum literas A et R saepissime permutatas esse constet. Vid. Adnotatt. ad Fr. VII. lin. 2. 3.

expressisse, supra vidimus. Eundem porro, quum pro SPECIEM, quod Niebuhrius eruit, in vulgaribus Salustii editionibus *s r ciem*, quod ex lectione *sτciem*, quam Dousa ita exhibuit, ut litera secunda ad τ Graeci similitudinem proxime accedat, subortum est, atque in Bimardi exemplo S . . CIEM reperisset, perperam ACIEM scribendum censuisse, facile poterit doceri. Obstat enim huic coniecturae, schedarum antiquissimarum auctoritate iam satis refutatae, vocabulum *praeter*, quod praecedit, sive verba: *praeter speciem bello necessariam*, coll. Liv. XL, 6. *nec praeter ferrum quicquam defuit ad iustam belli speciem*, ita explices, ut de telis igne duratis neque ferro coruscis cogitans idem significare dicas, quod *excepta specie bello necessaria*, sive ita interpreteris, ut tela aere nitentia denotari existimans idem valere statuas, quod *praeterquam quod exercitui speciem bello necessariam addebant.* Atque hoc haud dubie praestat. Ceterum haec Salustii verba aliis scriptorum veterum locis, quos Berneccerus ad Iustin. XI, 13. laudavit, minime repugnant, quum hic de armis, non auro et argento, sed aere fulgentibus agatur. Haec enim Romanis quoque placuisse, uti consentaneum est, ita testatur Liv. XLIV, 34. ubi ex fortissimis L. Aemilii Paulli militibus alii galeas bucculasque, scuta alii, alii loricas ante pugnam tersisse traduntur. Praeterea cf. Plutarch. Philopoem. cap. 9. ubi militum animos armorum pulchritudine accendi docuit. Dousam autem, ut hoc insuper addam, recte *necessariam* edidisse, non solum res ipsa loquitur, verum etiam confirmant schedae Vaticanae, in quibus NECESSARIA legitur; ita tamen, ut dimidiam literae extremae partem et, nisi fallor, lineolam quoque literae M vicariam membranae scissura abstulerit.

Lin. 4. QUA˜] QUAM Bim. Illud Niebuhrii apographum tuetur. Cf. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 19. p. 386. Pro sequenti *ferro* in ed. Havercamp. non nisi *ro* legitur. Ceterum similiter Salustius Iug. cap. 105. *neque his secus*, inquit, *atque aliis armis, advorsum tela hostium, quod ea levia sunt, muniti.*

Lin. 6. UARINIUS] De nomine Varinii praetoris, qui anno 681. a. u. c. iustum quidem, sed tumultuarium exercitum adversus Spartacum eduxit, Bimardus Sigonium secutus ita disseruit: „Praetorem illius anni, quem „contra Spartacum et socios missum narrant historici, Πούπλιον Βαρῖνον „vocat Plutarchus Crass. cap. 9. *Publium Varenum* Epitome Liviana 95.

„Οὐαρίνιον Γλάβρον Appianus Bell. Civ. I, 116. a quo et hisce fragmentis do„cemur, integrum illius nomen fuisse *P. Varinius Glaber*, unde emendan„dum patet eius nomen apud alios [2]), tum apud Ciceronem, a quo pro „Flacc. cap. 19. *Publius Varinus praetor* nuncupatur [3]). De *Glabri* vero „cognomine frustra laborat Sigonius in Fast. ad a. 680. p. m. 205. ut illud „*Publio Varinio* abiudicet, et legato eius *Clodio* tribuat, quandoquidem Li„vius, si qua fides epitomatori, *Clodium Pulchrum* dixerit, et *Pulchri* cog„nomen tam in Clodia gente commune sit, quam illud alterum *Glabri* in„auditum." Praeterea vid. interpretes ad Livii Epit. 95. ubi nomen *P. Varinium* cum Rupertio restitui, et Meissneri Spart. p. 39. sq.

Lin. 6. 7. AGU∾-TUR] AGUN-TUR Bim. Hic quoque Niebuhrii apographo fides habenda. Vid. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 184. p. 445. De structura verborum: *dum haec aguntur a fugitivis*, cf. Heinrichium et Beierum ad Ciceronis Orationum Fragmenta inedita, p. 25. sqq. ed. Beier.

Lin. 7. FUGITIUIS] Librarius, quum literam penultimam omisisset, errorem ita correxit, ut FUGITIU^I^S scriberet. Cf. Iuvenatii nostrasque Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 39. 40. p. 392. sq.

Lin. 8. 9. AUTUMNI GRAUITATE] Id est, *pestifera auctumni intemperie*. Caes. B. C. III, 2. *gravis auctumnus in Apulia circumque Brundisium, ex saluberrimis Galliae et Hispaniae regionibus, omnem exercitum valetudine tentaverat*. Vid. Duker. ad Liv. III, 6, 2. atque interpretes ad Horat. Od. II, 14, 15. et Sat. II, 6, 19. Ceterum schedae Vaticanae iis adversantur, qui Festi notationem secuti *auctumnus* scribere malunt.

Lin. 9. NEQ·] NEQUE Bim. Illud Niebuhrii apographum exhibet. Cf. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 14. p. 385.

2) Bimardus rectius atque accuratius scripsisset: quum apud alios, tum apud Ciceronem, etc. Nam adverbium quum in eiusmodi orationis structura non solet omitti, nisi coniunctio quum praecedat. Vid. Ramshornii Gramm. Lat. §. 178. p. 513.

3) Orellius cum Beckio et Schützio lectionem P. Varinio recepit: Nobbius autem, quod mireris, vulgatum P. Varino retinuit. Ceterum Schützius, de horum fragmentorum auctore subdubitans, A. Vatinium Glabrum Appian. Bell. Civ. I, 116. memorari, falso retulit.

Lin. 10. CUM] *quum* Freinsh. Vid. quae infra ad huius fragmenti lin. 19. 20. et Fr. VII. lin. 18. 19. atque ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 141. p. 434. adnotavimus. Ceterum haec edicti severitas, qua milites Romani ex postrema fuga revocati esse dicuntur, haud obscure significare videtur, Salustium non tam ad certamina, id quod Bimardus opinatur, a Clodio Pulchro, Furio et Cossinio cum fugitivis commissa, quam ad illud proelium respicere, ex quo Varinium ipsum, amisso equo et magistratus insignibus relictis, aegre elapsum esse, Plutarchus Crass. cap. 9. atque Appianus Bell. Civ. I, 116. testantur.

Lin. 11. IUUERENTUR ULLIS] Pro illo, una litera mutata, IUBERENTUR scribendum esse, iam Dousa, Freinshemius ac Bimardus viderunt. Et quis, quaeso, non videat? Similiter enim Liv. VI, 35, 9. *iubet* pro *iuvet*, atque XXXI, 30, 1. *iuvantibusque* pro *iubentibusque* plures codices offerunt et XLII, 39, 6. in cod. Vindob. *iuvevant* pro *iubebant* scriptum exstat. De perpetua literarum B et V permutatione vid. Iuvenatii nostrasque Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 200. p. 454. sqq. Vocabulum ULLIS, quod sequitur, Bimardus omisit; Dousa et Freinshemius non item. Quemadmodum autem, ut rem leviorem obiter addam, librarius hoc loco, vocabulo rectius forsitan diviso, SIG-NA scripsit, ita idem Fr. II. lin. 2. 3. MAG-NIS et Fr. VII. lin. 8. 9. IG-NIS posuit. Cf. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 110. p. 421. n. 84.

Lin. 12. DEEUNTIB·] DEEUNTIBUS Bim. *deeuntibus* (lege *redeuntibus*) Dous. *redeuntibus* Putsch. De illo vid. Adnotatt. ad Fr. IV. lin. 8. ubi similiter peccatum est: hoc, quod Dousae ingenio debetur, Freinshemius et Brossius atque Salustii editores ad unum omnes recte adsciverunt. Liv. XL, 41. *Milites iussi ad signa redire.* Vitii origo, nisi fallor, repetenda est a praecedente litera A, quae quidem, ut, litera R intercepta, primum EDEUNTIB·, deinde DEEUNTIB· scriberetur, effecisse videtur. Minus placet COEUNTIBUS, quod in codicis scriptura latere, Bimardus coniecit, et DEUENIENTIBUS, quod ipse olim audaciore coniectura ductus vulgato substituendum esse arbitrabar. Errones enim, qui a signis discesserunt, ex fuga revocati aptius ad signa *redire*, quam *coire* vel *devenire* dicuntur.

Lin. 14. DETRACTANTIB·] DE TRACTANTIB [4]) Bim. *detrectantibus* Dous. Hoc Freinshemius quoque cum Salustii editoribus praetulit. Vide tamen Drakenborch. ad Liv. XXXIV, 15, 9. et scriptoribus ibi laudatis adde Garaton. ad Cic. Philipp. XIV, 14. Vol. II. p. 589. ed. Wernsdorf. atque Gerlach. ad Salust. Iug. cap. 53. Vol. II. Part. I. p. 295.

Lin. 16. C. THORANIUM] Praenominis notae librarius unum adscripsit punctum, a fragmentorum Salustianorum editore Divionensi et Schlütero omissum, neque duobus illam inclusit, quod in multis codicibus antiquis usu venire docui in Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 41. p. 395. Hunc ipsum C. Thoranium quaestorem, a Q. Caecilii Metelli legato, quem Plutarchus Sertor. cap. 12. Θωράνιον, sed Florus III, 22. *Thorium* vocat, et Thoranio mangone, quem Suetonius Octav. cap. 69. commemorat, haud dubie diversum, posthac Octaviani tutorem fuisse, a triumviris proscriptum, Bimardus et Brossius recte existimaverunt. Cf. Appian. Bell. Civ. IV, 12. Valer. Max. IX, 11, 5. et Oros. VI, 18.

Ibid. EX QUO PRESENTE] Sicuti librarius, id quod Gerlachius non adnotavit, hoc loco PRESENTE pro PRAESENTE scripsit, ita eundem huius fragmenti lin. 2. ERE pro AERE et Fr. VIII. lin. 13. 14. EDIFICIS pro AEDIFICIIS posuisse auspicamur. Contrario errore Fr. VII. lin. 2. et 18. peccavit. Similiter Liv. XXIII, 24. *ut ex iis praesentibus noscere Patres possent, quo statu respublica esset.* Pro vulgari *facillime,* quod Cortius et Havercampius perperam in *facilime* mutarunt, Gerlachius notissimum

4) Sicuti is, qui haec Salustii fragmenta olim ex schedis Vaticanis descripsit, hunc locum et Fr. II. lin. 6. 15. 16. aliosque permultos literarum ac syllabarum distractione corrupit, sic eiusdem ope locum Liv. XLV, 15. a Grynaeo depravatum ita corrigendum esse, ut, quum in cod. Vindob. ex senatu exstet, non tam ex senatusconsulto, quam ex se natus scribatur, docui in Comm. de locis Gellii Noctt. Att. Lib. VI. cap. 1. et Lactantii Epit. Instit. Div. cap. 29. Misenae, 1827. p. 15. Quam quidem emendationem P. Scipionis verbis: filium adoptivum tam procedere, quam si ex se natum habeat, quae apud Gell. Noctt. Att. V, 19. leguntur, egregie confirmari, frater carissimus et iuris Romani, ut par est, peritissimus me admonuit, simulque Bondamum etiam, cuius Variae Lectiones tum, quum libellum illum repentina et quasi tumultuaria opera conscriberem, non in promptu erant, Lib. II. cap. 11. p. 253. lectorum animos ad luculentum operis Gelliani supplementum ex Lactantio petendum advertisse, mihi significavit.

Salustii morem secutus *facillume* reposuit: neque tamen lectores, ut par erat, hac de re certiores fecit.

Lin. 17. 18. NOSCERENTUMMISERANT] *noscerent* * * * *um miserant* Dous. *noscerent* * * * *commiserant* Putsch. „Si desperatis, Dousa „inquit, facere medicinam ius foret, perlubenter, hercle, clausulam illam, „lacuna expleta, constituerem hoc modo: *Ex quo praesente vera facillime „noscerent, Romam miserat, et tamen interim cum volentibus numero qua-„tuor.*" Eandem, si qua est, lacunam Freinshemius post Dousam, quem Brossius sequitur, ita supplevit: *ex quo praesente vera facillime noscerentur, in urbem miserat; et tamen interim cum volentibus in expeditionem prodiit.* Atque idem fere placuit Bimardo, qui nihil excidisse ratus scribendum censuit NOSCERENTUR MISERAT, quod, quum certiora desiderarem magis quam reperirem, recipiendum putavi. Neque tamen silentio praeterire possum ingeniosam Niebuhrii coniecturam, qui in CERENTUM non solum extremam partem verbi NOSCERENT, sed etiam, quum haec in Lucania gesta sint, nomen GRUMENTUM latere, atque praeterea plura forsitan intercidisse, in literis ad me datis suspicatus est [5]). Cui quidem opinioni licet hoc obstet, quod Grumentum, cuius urbis Liv. XXIII, 37. et

5) Res ipsa nos admonet loci Liv. XLV, 7. Pullo amictus illo Perseus ingressus est castra, etc. qui Iacobsio, ut alias aliorum coniecturas omittam, in Notis ad Livii Lib. XXXIII. p. 387. ob similitudinem syllabarum sese excipientium depravatus atque ita corrigendus videtur, ut Pullo amictus cucullo scribatur. Atque ego quoque hunc locum lacuna deformatum, sed multo magis corruptum esse existimo. Quum enim in cod. Vindob. passim vel singula vel plura vocabula per inexplicabilem librarii errorem interciderint, idem hic etiam accidisse totumque locum ita supplendum esse suspicor: Pullo amictus, promissa barba et capillo, Perseus ingressus est castra, etc. Similiter Liv. II, 23. Ad hoc promissa barba et capilli efferaverant speciem oris, et, qui locus ad nostrum proxime accedit, XLIV, 19. Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam, procubuerunt. Praeterea cf. Liv. VI, 16. et XXVII, 34. Atque hanc ipsam ob causam in altera Livii editione lacunae signum posui. Certiore coniectura ductus Liv. XLI, 23. XLIV, 9. atque XLV, 21. 25. et 28. lacunas a Grynaeo non animadversas partim in altera, partim in utraque Livii editione explevi. Primo enim loco pro quem populus Romanus prius poenae, quam regni, heredem futurum sciebat, quum in cod. Vindob. quem populo Romano prius pae-

XXVII, 41. mentio iniicitur, paullo longius a belli sede remotum fuisse videatur, recte tamen Niebuhrius cum Bimardo perspexit, C. Thoranium a P. Varinio non Romam ad senatum, id quod Dousa, Freinshemius, Brossius et Meissnerus existimaverunt, sed ad milites Romanos ex fuga dispersos missum esse, ut hos, quo in statu res essent, praesens edoceret.

Lin. 19. 20. QUOM UOLENTIB·] *quum volentibus* Dous. Sed idem hunc locum, id quod supra vidimus, ita correxit, ut *cum volentibus,* quod Freinshemius quoque et Gerlachius, quem Frotscherus sequi debebat, recte reposuerunt, scribendum censeret. Infra tamen Fr. VII. lin. 18. 19. *quom* pro *quum* positum esse videtur. Ceterum *volentes* eodem fere sensu dixit Salustius in Historiarum Lib. II. fragmento, Vol. I. p. 175. ed. Frotscher. n. 21. *Quos adversum multi ex Bithynia volentes occurrere* [6]*), falsum filium arguituri,* quod Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 14. inseruit.

Lin. 20. QUATTUOR] QUATUOR Bim. *quatuor* Dous. Illud, quod in schedis Vaticanis, ne lineae spatium excederet, QUATTU°R scriptum

nae quam regni heredem futurum sciebat, exstet, coll. XXI, 1. et XLII, 11. reposui: quem hostem populo Romano prius paene, quam regni heredem futurum sciebat; secundo pro Huic testudini simillima parti muri admota, quum Livius ipse paullo ante dicat, iuvenes quosdam Romanos ludicro Circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri cepisse, atque cod. Vindob. huic testudo simillime parti muri permota, offerat, scripsi: Huic testudo simillima humillimae parti muri admota; tertio pro deinde ad populum latum, quum in cod. Vindob. deinde patrum ad populum latum, exstet, reposui: deinde ex auctoritate patrum ad populum latum; quarto, inserto vocabulo praesidia, quod Drakenborchius, cui Doeringius recte adversatur, nomini praefectos substituendum esse opinabatur, scripsi: In praesentia praesidia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque iusserunt praefectos; quinto denique, ubi pro missos a Baebio praeside in cod. Vindob. missos a Baebio praesidi legitur, ne quis amplius cum Dukero de horum verborum sententia laboraret, eadem fere medela adhibita, edidi: missos a Baebio, praefecto praesidii. Neque est, opinor, cur harum emendationum me poeniteat.

6) Servavit hoc fragmentum Priscian. X, 2. ubi Krehlius, quum Vol. I. p. 481. ex cod. Luth. accurrere reposuisset, vulgatum occurrere retinendum esse, Vol. II. p. 533. recte censuit; praesertim quum hoc magis quam illud praecedenti adversum convenire videatur.

est, vulgari praeferendum videtur. Cf. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 22—26. et lin. 38. p. 388. et 392. et quae contra Schneiderum nobiscum consentientem disputavit Ramshornius in Iahnii Annalibus Philologicis et Paedagogicis, a. 1827. Vol. I. Fasc. IV. p. 96. sqq. De vocabulo *numero*, quod Salustius etiam Iug. cap. 53. et 93. praeposuit, Livius II, 16. postposuit, vid. Oudendorp. ad Caes. B. G. I, 49. ubi de loco Iustin. XXIV, 7. addo, in cod. Lips. quoque legi: *Peditum numero sexaginta quinque millia.* Ceterum Freinshemius verba: *numero quattuor*, omisit. Vid. Adnotatt. ad huius fragmenti lin. 17. 18.

II.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 9. Bross. Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 65. atque Meissner. Spart. p. 43. sqq.

Lin. 1. . . . . . U.] Haec una, quam Niebuhrius solus ex schedis Vaticanis eruit, litera effecit, ut suspicarer, hoc fragmentum cum praecedenti ita esse coniungendum, ut scribas: *cum volentibus, numero quattuor millium, pergit ad castra magnis operibus communita.* Etenim spatii longitudo docere videtur, non MILIUM, quod exspectes, sed MILLIUM in codice exstitisse [7]) Cf. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 106. p. 419. Impeditiorem orationis structuram expediet locus Hirtii Bell. Afr. cap. 23. *expeditoque exercitu, numero servorum, liberorum, duorum millium, cuius partem inermem, partem armatam habuerat, ad oppidum Ascurum accedere coepit.* Ceterum Bimardus quoque Varinium cum quattuor millibus adversus hostem ivisse existimat, Brossius autem quattuor eum cohortes prospeculatum duxisse censet.

7) Quam ob rem in horum fragmentorum textu, qui huius Comm. Part. I. p. 21. sq. exhibetur, non quattuor . . . . . . u . . . . castra etc. sed quattuor . . . . . u. . . . . . castra etc. ponendum erat. At si statuas, id quod ibidem p. 14. not. 30. negavi, in inferiore huius columnae parte unum saltem versiculum intercidisse, totum locum supplere possis hoc modo: cum volentibus, numero quattuor milium, perrexit ad fugitivorum castra magnis operibus communita. Tum vero literam U, quae superest, septimum in vocabulo fugitivorum locum obtinuisse putaverim.

Lin. 2. NIS OPERIB· COMMUN . . .] NIS OPERIS COMMUN . . . Bim. Librarium, literis MAG in fine prioris versus positis, literas NIS in versum insequentem transtulisse, non est, quod dubites. Vid. supra Adnotatt. ad Fr. I. lin. 11. Freinshemium recte OPERIB· legisse, non temere colligas ex eius verbis: „Quum enim *operibus* hostium in arctum co„acti essent *fugitivi*, etc.“ Res ipsa, quam Freinshemius finxit, propterea abhorret a fide, quod Romanis ex longinquo prospectum in fugitivorum castra patuisse, sequentia docent. Propius est vero, fugitivos ipsos in illis locis habuisse *castra magnis operibus communita.* Hoc enim verbum, quo Salustius Iug. cap. 66. usus est, in literis COMMUN . . ., quibus editor Divionensis punctum perperam subiecit, maximam partem superesse et nostrae magis quam Freinshemii sententiae convenire apparet. Vid. praeter Caes. B. G. V, 49. et Curt. V, 5. Drakenborch. ad Liv. III, 42, 3. et XXX, 7, 3. atque adde locum, si discesseris a simplici *munire*, quod etiam Salust. Iug. cap. 75. 82. et 100. de eadem re legitur, nostro plane geminum apud Caes. B. C. I, 18. *Caesar tribus primis diebus castra magnis operibus munire — instituit.*

Lin. 3. 4. DEINDE FUGITIUI CON . . . . TIS] Vocabulum *deinde*, quod Freinshemius omisit, ea, quae de Spartaci fraude referuntur, non statim post Varinii adventum, sed interiecto aliquo tempore accidisse significat. Quae sequuntur Frontinus Strat. I, 5, 22. ex hoc ipso Salustii loco repetita hunc in modum enarravit: *Idem quum a P. Varinio proconsule* [8]) *praeclusus esset, palis per modica intervalla fixis ante portam, erecta cadavera, adornata veste atque armis, adligavit, ut procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis. Imagine vana deluso hoste, copias silentio noctis eduxit.* Quantum haec conferant ad hoc Salustii fragmentum probabiliter resarciendum, deinceps videbimus. Lacunam autem ita explendam esse, ut non tam cum Freinshemio et Bimardo CONSUMTIS, quam cum Crevierio CONSUMPTIS scribatur, nemo dubitabit. Vid. Iuvenatii nostrasque Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 146. p. 434.

8) Frontinum hoc loco, pro aevi sui more, virum praetorium, qui cum imperio pro consule apud exercitum vel in provincia est, proconsulem appellare, Oudendorpius adnotavit. Vid. etiam Leopold. ad Plutarch. Sertor. cap. 12. p. 433.

Lin. 4. 5. NEP . . . DANTIB·] Salustium NE PRAEDANTIB· scripsisse, nemo tam hebes est, quin primo adspectu pervideat. Et tamen Freinshemius, quod mireris, hunc locum ita supplevit: NEC SUPPEDITANTIB· EX PROPINQUO, i. e. Brossio interprete: *et n'en pouvant plus tirer du voisinage.* Quae quidem, ut nihil dicam de literis P et D satis audacter in C et T mutatis, vel propterea admitti nequeunt, quod syllabas SUPPEDI lineae modus non capit.

Lin. 5. 6. EX PROPIN . . . . . . TIS INSTARET] EX PROPINQ . . . . . TIS INSTAR ET Bim. Haec quoque lacuna, uti facillime, ita certissime hoc modo potest expleri: EX PROPINQUO HOSTIS INSTARET [9]). Verba: *ex propinquo*, quae Freinshemius, omissis iis, quae lin. 6—8. leguntur, cum praecedentibus coniunxit, olim quidem et ego, quum

9) In libello ita inscripto: Carminis Latini de bello Actiaco sive Alexandrino Fragmenta, ex volumine Herculanensi nuper evulgata, Lips. 1814. p. 7. primi fragmenti, quod ad Pelusii oppugnationem pertinere videtur, vers. 7. IMMINET .PSSESSI. ITAL.S IAM TURRIBUS . . . TIS, a Morgensternio in Descriptione itineris per Italiam facti, Vol. I. p. 164. maximam partem ita refectum: Imminet obsessis Italis iam turribus — coll. Virg. Aen. IX, 470. et X, 121. supplevi hunc in modum: Imminet obsessis Italis iam turribus altis. Postea vidi, eundem versiculum a Nic. Ciampettio in Herculanensium Voluminum Tom. II. Praefat. p. 17. sive in Epicuri Fragmentis, post Rosinium ab Orellio editis, Praefat. p. 9. ita esse reparatum: Imminet obsessis Italus iam turribus altis, atque a Car. Fea in praefatione Horatii carminibus praefixa p. 21. hoc modo expletum: Imminet obsessis Italis iam turribus hastis, si quidem hastis a doctissimo Horatii editore profectum est, neque potius ab indocto typographo positum pro hostis. Hoc enim vocabulum, quod hic olim exstitisse, literae S, quae syllabam TIS praecedit, reliquiae in papyro conspicuae significant, pariter ac nomen Italus non solum lacunarum amplitudo, sed etiam, quum turribus imminere Italis obsessis, pro Italos obsessos turribus oppugnare, nemo Latinorum dixerit, verborum structura requirit. Itaque non est, quod dubites, hunc versum coll. Virg. Aen. X, 26. ita redintegrandum esse, ut adstipulante, ni fallor, ipso Morgensternio, qui, se quoque in vocabulum hostis incidisse et propterea tria puncta in editione sua posuisse, per literas me certiorem fecit, scribas: Imminet obsessis Italus iam turribus hostis, i. e. hostis ex Italia advectus obsessis Pelusii turribus imminet. Alios horum fragmentorum locos, quum multa, quae olim de iis commentatus sum, nunc displiceant, alio tempore retractabo.

apud Liv. XXIV, 47. *per speciem praedandi ex hostium agro*, legi meminissem, cum antecedenti *praedantibus* connectenda censui: nunc tamen ad sequentia potius referenda arbitror, aliis eiusdem Livii locis in hanc sententiam perductus. Cf. Liv. IX, 27. XXI, 46. et 50. XXV, 13. XXVIII, 44. XXXII, 32. XXXIV, 39. atque XXXVI, 14. et 19. quibus adde locum nostro simillimum XLII, 67. ubi, quum in cod. Vindob. non *et propinquos*, quod Grynaeus edidit, sed *et propinquo* legatur, haud dubie scribendum: *iussum Magnetas ex propinquo tentare*, i. e. *adoriri*, quod nuper in altera Livii editione pro vulgato reposui. Nam voculas *et* atque *ex*, quarum illa pro hac etiam Fr. VI. lin. 11. in apographo Chevaneo perperam est posita, a librariis saepe permutari monuit Drakenborch. ad Liv. XXVI, 45, 1. et nostram huius loci emendationem confirmat ipse Livius, qui, diversa quidem verbi *tentare* significatione, sed tamen similiter XXVIII, 3. de L. Scipione Oringin obsidente: *misit ad portas*, inquit, *qui ex propinquo adloquio animos tentarent*, i. e. *experirentur*.

Lin. 6. 7. SOLITIM ..... LITIAE] SOLITIA ..... LITIAE Bim. Quum Brossius vocabuli monstro SOLITIA vernaculum *habituellement* in interpretatione substituisset, eum SOLITAS legendum censuisse, olim existimavi: sed, quum *solitas militiae vigilias* pro *stationibus custodiisque solitis hostium*, ut Livius XXI, 14. loquitur, nemo facile dixerit, participium SOLITI retinendum, A proximum autem literae M, quae primum in vocabulo MILITIAE locum obtinuerit, particulam esse, incerto fluctuans animo suspicatus sum. Vid. quae nunc ad Fr. VIII. lin. 7. 8. adnotavi. Cui coniecturae quum Niebuhrii apographum haud parvum adiecisset momentum, ut lacunae spatium commodius et perfectius expleretur, SOLITI MORE MILITIAE scribendum esse, mentis caligine, ut fit, subito discussa, penitus perspexi. Vid. nostram Epist. ad Goeller. p. 473. sq. ubi, ne quis de huius emendationis veritate dubitaret, hos locos adscripsi: Salust. Iug. cap. 44. *Sed neque more militari vigiliae deducebantur*; et cap. 54. *meritos in proeliis more militiae donat.*

Lin. 7. 8. STA ...... Q·]. Integrum versum septimum Schlüterus, nomen *vigilias* Gerlachius omisit; Frotscherus non item. Lacunam Bimardus, cui Brossius accessit, recte explevit vocabulo STATIONES, cui non Q, quod ille posuit, sed Q· addendum, quod librarius non hic tantum,

sed etiam Fr. IV. lin. 8. et Fr. V. lin. 5. in versum insequentem transtulit eodem modo, quo in Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 200. 201. vocabulum TRANSGRESSUS-Q divisum esse videmus. Ceterum de *vigiliis* et *stationibus*, quarum has non diurnas solum, sed etiam nocturnas fuisse, ex Liv. X, 32. et 33. atque XXV, 58. intelligitur, idem valet, quod Garatonius ad Cic. pro Mil. cap. 25. de verbis: *si excubiae, si vigiliae*, recte adnotavit: „Coniunguntur haec etiam pro Planc. cap. 42. et promiscue usur„pantur; sic tamen, ut *vigiliae* nunquam de diurno tantummodo tempore." Ita Liv. XXXI, 46. Orei praesidium *vigiliis diurnis pariter nocturnisque* confectum dicitur, idemque XXXVI, 23. de Heracleae praesidio narratur. Interdum tamen, uti hoc loco, ita alibi quoque distinguuntur, v. c. Liv. IX, 24. *fore, ut minus intentae in custodiam urbis diurnae stationes ac nocturnae vigiliae essent*, atque in Salustii Historiarum Lib. II. fragmento, Vol. I. p. 176. ed. Frotscher. n. 30. *noctu diuque stationes et vigilias tentare*, quod Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. II. cap. 17. inseruit.

Lin. 8. ET ALIA MUNIA EA . . . .] ET ALIA MUNIA ES . . . . Bim. Olim suspicabar, hunc locum ita esse reparandum: ET ALIA MUNIA EXPLENT, ex Brossii interpretatione: *ou s'acquitter des autres fonctions du soldat.* Haec enim *munia*, quae Liv. IX, 3. et XLIV, 4. *munera militaria*, XXVII, 9. *munera militiae*, XXXII, 16. *munera belli*, XXXVI, 31. *munia belli*, et XLV, 36. *munia militiae* vocantur, *explere* idem esse videbatur, quod *militaria munera obire*, qua formula Livius XLIV, 6. usus est, quum Cicero de Prov. Cons. cap. 14. dixerit: *explere susceptum reipublicae munus*, et Auctor Dial. de Oratt. cap. 32. *quoniam quidem ego iam meum munus explevi.* Sed quum in Niebuhrii apographo pro ES reperissem EA, dimidia literae A parte abscissa, in ipsis schedis Vaticanis pro EA, licet alias litera F prae ceteris emineat, exolescentibus literarum ductibus FA scriptum exstare, ideoque FACERE legendum et hoc verbum, orationis structura satis expedita, ad praecedens participium *soliti* referendum esse, probabili admodum coniectura auguratus sum. Vid. nostram Epist. ad Goeller. p. 373. sq. ubi literarum E et F similitudinem, quae etiam locos Hirt. Bell. Alex. cap. 16. et Bell. Afr. cap. 52. in nostra editione restitutos corruperat, errorem praebuisse docui, simulque hanc emendationem magis etiam confirmavi locis Salustii et Livii, quorum ille Iug. cap.

80. *Eorum*, inquit, *multitudinem in unum cogit: ac paullatim consuefacit ordines habere, signa sequi, imperium observare, item alia militaria facere;* hic autem I, 42. de censu: *ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent.*

Lin. 9. SECUNDA UIGILIA . . . . . .] Aut ego fallor, aut Brossius, nisi eum Frontini vestigiis institisse dicas, iam ante me bene intellexit, haec verba, quae sola Freinshemius posuit, lineae spatium non explere, ideoque vocabulum SILENTIO supplendum esse iudicavit. Vertit enim: *Une nuit, à la seconde veille ou relevée de la garde, ils sortirent tous en grand silence.* Quae quidem licet narrationis tenori optime conveniant, atque Frontini verbis: *copias silentio noctis eduxit*, et auctoritate Salustii ipsius, qui Iug. cap. 106. de Sulla quaestore: *milites*, inquit, *prima vigilia silentio egredi iubet*, aliisque veterum scriptorum locis, v. c. Liv. VII, 35. et X, 34. egregie comprobari possint; negari tamen nequit, Salustio, si hoc, quod sponte intelligitur, diserte declarare voluisset, non tam: *secunda vigilia silentio cuncti egrediuntur*, quam inverso potius verborum ordine: *secunda vigilia cuncti silentio egrediuntur*, scribendum fuisse, quum *cuncti*, quo orationis subiectum, quod vocant, denotatur, prius animo cogitantis sese offerat, quam *silentio*, quo modus egrediendi definitur. Longe diversa est ratio loci Caes. B. C. II, 35. *de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit*, ubi vocabulum *silentio* ad formulam *exercitum reducit*, referendum esse apparet. Itaque vacuo huius versus spatio, quod participium COMMISSA non capere videtur, reponere malim vocabulum NOCTIS, quod in vigiliarum designatione ab optimis quibusque Romanorum scriptoribus modo omissum, modo additum esse constat. Ceterum *secunda vigilia noctis* est idem quod *ante mediam noctem* [10]), post quam tertia erat vigilia. Vid. quos hac de re laudavit Burmann. ad Propert. IV, 4, 61. et adde Rupert. ad Sil. Ital, VII, 154. sq. sive ad Liv. VII, 35. ubi perperam *tibicine* pro *tubicine* scripsit. Eadem vocabula a librariis quoque permutata esse, ex iis apparet, quae ad Liv. I, 43. adnotavi.

10) Brossius in nota versioni subiecta monuit, secunda vigilia idem valere, quod après neuf heures du soir: et fugitivos, quum haec per auctumnum agerentur, hora nona vespertina exacta, per tenebras, ut Freinshemius ait, aut dubia adhuc luce castris egressos esse, cur negem, non reperio.

Lin. 10. 11. EGREDIU . . . . . . LICTO] Quamquam Freinshemius codicis lacunam literis NTUR et RE inserendis optime explevisse atque hac ratione verba EGREDIUNTUR et RELICTO, quorum hoc Gerlachius et Frotscherus omiserunt, verissime restituisse censendus est, propter sequentia tamen, quae idem Freinshemius male tractavit, verbo *egrediuntur* non minimam, sed maximam interpunctionem subiiciendam esse arbitror.

Lin. 11. 12. LICTO BUCINAT . . . . TRIS] LICTO BUCINA . . . . TRIS Bim. Freinshemium hic quoque codicis lacunam recte supplevisse hunc in modum: RELICTO BUCINATORE IN CASTRIS, et literae residuae demonstrant, et vero etiam loci simillimi Caes. B. C. II, 35. atque Frontin. Strat. I, 5, 17. quos, quum nostro commentarii vicem praestent, nobis temperare non possumus, quo minus integros adponamus. Ita igitur ille: *Qua re animum adversa, Varus, et terrore exercitus cognito, buccinatore in castris et paucis ad speciem tabernaculis relictis, de tertia vigilia silentio exercitum in oppidum reducit.* Hic autem: *L. Sulla,* inquit, *bello sociali, apud Aeserniam inter angustias deprehensus, ad exercitum hostium, cui Mutilus praeerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat sine effectu: hostem tamen propter indutias negligentia resolutum animadvertens, nocte profectus, relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret, et, quarta vigilia commissa, consequeretur, incolumes suos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta* [11]) *perduxit.* Ceterum de eo, quod hic *bucinatore* rectius, ni fallor, scriptum est pro *buccinatore*, audiendus Drakenborchius, qui ad Liv. VII, 55, 1. „Utroque modo, ait, scribi posse „videtur, *bucina* et *buccina*. Certe *bucinator* et *buccinator* in lapidibus an„tiquis obvium est. Prius apud Gruterum p. 559, n. 7. alterum ibid. p. 516. „n. 8. p. 551. n. 5. et p. 1116. n. 4. De ratione scribendi consulendus est

11) Alibi in tutum, v. c. Liv. XXXVIII, 4. ne qua sentirent Romani, et regressus inde in tutum non esset. Hunc locum pervertit Doeringius, qui: „Pro in tutum, inquit, plurimi codd. apud Drakenb. offerunt in tuto; utrumque „eodem redit; si in tutum legimus, regressus est participium.“ Minime vero. Regressus vel sic nomen est, quod Liv. XXIV, 26. legitur atque Drakenborchio etiam XXI, 41. reponendum videbatur. De contrario errore, in quem Doeringius Liv. XXXI, 12. ab Ernestio inductus est, vid. nostras Adnotatt. ad Liv. I, 20.

„Dausqueius in Orthogr. Part. II. in v. *buccina.*“ Adde Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 402.

Lin. 12. ET AD UIGIL . . . .] Quum quae Freinshemius ex Frontini loco reposuit: ET AD UIGILIARUM SPECIEM, versus longitudinem non nihil excedant, hanc lacunam ita potius explendam censeo, ut, ingrata vocabuli *vigilia* repetitione evitata et tribus literis omissis, rescribatur: ET AD UIGILUM SPECIEM, quibus aeque respondent Frontini verba: *ut stationis species esset.* Etenim vix opus est, ut moneam, milites, qui in castris vigilias agunt, hoc loco *vigiles* appellari, sicuti apud Liv. XXI, 48. *vigilibus ad portas trucidatis*, et XLIV, 33. ubi de L. Aemilio Paullo haec leguntur: *Vigiles etiam novo more scutum in vigiliam ferre vetuit*, atque alibi sexcenties.

Lin. 13. 14. PROCUL UISEN . . . . . . XERANT] Hoc quoque loco lineae spatium non capit Freinshemii supplementum: PROCUL UISENTI CADAUERIB· QUAE EREXERANT, in quo et illud displicet, quod nomen plurale *cadaveribus*, cuius inserendi infra locum esse, Freinshemius non vidit, ad participium singulare *relicto* referendum est, nisi dicas, vocabulum *cadaveribus* cum sequenti participio *fixis*, quod in Frontini loco ad vocem *palis* pertinet, coniungendum esse. Quam ob rem, Frontini verbis: *procul intuentibus*, inductus, pro certo affirmare ausim, Salustium nihil nisi PROCUL UISENTIB· scripsisse; praesertim quum idem exstet in eiusdem Historiarum fragmento, Vol. I. p. 213. ed. Frotscher. n. 229. *Scyllam accolae saxum in mari* [12]) *imminens appellant, simile celebratae formae procul visentibus*, quod Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. IV. cap. 56. inseruit. Adde Curt. V, 1, 34. *ut procul visentibus silvae montibus suis imminere videantur*, et Iustin. IV, 1. *neque experientibus modo terribile, verum etiam procul visentibus*, pro quo paullo post *procul inspicientibus* posuit [13]).

12) Quo minus apud Isidor. Orig. XIII, 18. ubi haec exstant, ex vulgari ratione sive in mare, sive mari scribas, impedire videtur locus Cic. pro Sext. cap. 55. in ore impuri hominis imminens, ubi tamen Schützius vel in os, vel ori legendum esse opinatur.

13) Idem, nisi coniectura fallor, restituendum Liv. XXVIII, 14. ubi pro elephanti castellorum procul speciem praebebant, quum ante praebebant in co-

Lin. 14. XERANT FUL . . . .] XERANT FULT . . . . Bim. Atque Niebuhrius quoque punctis in apopraphо positis significavit, certa literae T vestigia in schedis Vaticanis etiamnunc comparere. De supplemento autem huius loci olim haec scripseram: „Freinshemium non solum „in fine versus proximi literas ERE recte addidisse, atque hoc modo verbum EREXERANT egregie revocasse, sed etiam lacunam hoc versu ob„viam, litera A et vocabulo PALIS ex ingenio adiectis, quibus, non id „agens, ut fragmentum nostrum restitueret, Frontino praeeunte et Brossio „sequente, adiunxit: *per modica intervalla ante portam fixis*, optime sup„plevisse, satis docent Frontini verba: *palis per modica intervalla fixis ante* „*portam, erecta cadavera, adornata veste atque armis, adligavit.*" Nunc tamen pro PALIS, quod lineae explendae non sufficit atque a Gerlachio et Frotschero omissum est, ARBORIB., i. e. *stipitibus* sive *palis*, reponere malim.

Lin. 15. RECENTIA C . . . .] RECENTI AC . . . . Bim. Literam A, cum sequenti C in apographo Chevaneo pessime coniunctam, ad vocabulum praecedens retrahendam, atque emendatione, uti facillima, ita certissima, RECENTIA CADAUERA scribendum esse, priusquam Niebuhrii apographum nanciscerer, coniectura perspexi et Brossium, qui per *un pareil nombre de corps nouvellement morts* interpretatus est, in idem mecum incidisse, postea demum intellexi.

Lin. 16. BROSIGN . . . .] BRO SIGN . . . . Bim. Ex his literis primo adspectu colligas, a Salustio hic traditum fuisse, buccinatorem in castris relictum CREBRO SIGNUM dedisse atque vigilias, ut Frontini verbis supra ad huius fragmenti lin. 11. prolatis utar, ad fidem remanentium divisisse. Quum autem Spartacus vigilia secunda castris esset egressus, ideoque post eius discessum duae tantum vigiliae committendae, tres finiendae essent, neque Salustium, a buccinatore crebro signum esse datum, hic narrasse arbitror, praesertim quum literae BRO SIGN a vo-

dicibus permultis, quibus etiam Lipsiensis accedit, et editionibus antiquis visu, in codd. Put. ac Flor. vi, in cod. Lov. 1. usui atque in cod. Voss. visui additum reperitur, elephanti castellorum speciem procul visenti praebebant, scribendum esse suspicor.

cabulo *buccinatore*, quod lin. 11. praecessit, longius sint remotae, quam ut cum eo commode possint coniungi, neque Brossium, qui verba: *la trompette sonnoit de moment en moment*, interpretationi adiecit, haec ex literis illis exsculpsisse, sed de statis vigiliarum reliquarum vicibus, a buccinatore per fraudem indicatis, cogitasse atque illa verba de suo addidisse existimo. Itaque hic etiam literas, quae coniungendae fuissent, in apographo Chevaneo perperam disiunctas esse suspicor, et, quum in versu proximo aliquantum spatii supersit, ET CREBROS IGNIS FECERANT, scribendum censeo, fretus quum maxime Frontini verbis: *ignibus per tota castra factis*, aliisque veterum scriptorum locis, v. c. Salust. Iug. cap. 98. *dein crebris ignibus factis* etc. atque cap. 106. *in castris ignes quam creberrumos fieri.* De re vide, ut alia huius generis strategemata mittam, Frontin. Strat. I, 1, 7. 9. et 5, 24. Polyaen. Strat. III, 9, 50. 11, 15. et VII, 11, 4. coll. Liv. VIII, 38. XXII, 41. 42. 43. atque XXXI, 38. ubi de Philippo: *frustratus hostem secunda vigilia, multis ignibus per tota castra relictis, silenti agmine abiit.* Praeterea Gerlachius pro *crebros ignis*, quam accusativi formam schedae Vaticanae Fr. VII. lin. 8. 9. offerunt, minus accurate *crebro ignis* edidit: Frotscherus illud recte restituit.

Lin. 17—19. MIDIN . . . . RIN . . . . TU . . . .] In his laceri fragmenti particulis, quarum prima vocabuli *formido*, secunda autem nominis *Varinius* reliquias continere videtur, apte coagmentandis alii, si lubet, ingenii vires experiantur et, qua ratione cum fragmento insequenti possint coniungi, dispicere adnitantur.

III.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 9. atque Meissner. Spart. p. 44.

Lin. 2. . . . INITIIS CONUERTERE S . .] IN . . . . S CONUERTERENT Bim. Quemadmodum Fr. I. lin. 5. in fine versus AT legitur, ita hoc loco post CONUERTERE haud dubie SED exstabat. De ceteris non habeo, quod dicam.

Lin. 3. . . . INIUS] . . . INTUS Bim. UARINIUS legendum esse,

Niebuhrius in apographi margine adnotavit: nec potest melius certiusque haec lacuna expleri. Idem enim nomen etiam Fr. I. lin. 6. in versus principio positum est. Pro *multa iam luce*, quod sequitur atque etiam Tacit. Hist. V, 22. legitur, sive *multo die*, quod Caes. B. G. I, 22. posuit, Liv. III, 60. dixit: *postquam multa iam dies erat*, i. e. *postquam multum die processerat*, ut Salust. Iug. cap. 51. loquitur, eiusque contrarium est *multa nocte*, quod Cic. Epp. ad Q. Fr. II, 9. Q. Cic. de Petit. Cons. cap. 13. Liv. XXXV, 4. Tacit. Hist. III, 77. et Tibull. I, 9, 42. reperitur, sive *multo iam noctis*, quod Tacit. Hist. III, 79. exstat. Ceterum Freinshemius nonnullas saltem huius fragmenti particulas ex lin. 3. 9. et 12. petitas Supplementis Livianis inseruit hoc modo: „*Multa* demum *lux* aperuit, quid actum esset, „*missique* sunt *equites*, qui *vestigia* Spartaci scrutarentur, et quantum pos- „sent damni ac morae facerent.“ Cf. Liv. XXII, 42. ubi similiter Hannibal consules Romanos falsa castrorum imagine frustratus esse traditur.

Lin. 4. 5. . . . . DERANS SOLITA A FUGI . . . . . CONUICIA] . . . . DERANS SOLITA A FULI . . . . . . ONO ACTAE Bim. Quamquam Niebuhrii apographum haec multo integriora exhibet, quam schedae Chevaneae, dubito tamen, an Salustius scripserit: DESIDERANS SOLITA A FUGITIUIS CONUICIA, quum non nisi ea, quae abesse dolemus vel requirimus, Latinis *desiderari* dicantur, ideoque Varinium fugitivorum *convicia*, sive *clamores*, sive *maledicta* hoc vocabulo significari existimes, post eorum discessum *desiderasse*, vix ac ne vix quidem probabile videatur. Neque tamen praeter *considerans*, *foederans*, *moderans* et *ponderans* aliud verbum succurrit, quod desinat in syllabas *derans*, atque huic loco accommodari possit. Huc accedit, quod Cicero quidem Epp. ad Div. VII, 28. scripsit: *te ex meis libris animum meum desiderare*, nemo tamen, quod sciam, praepositionem *a* verbo *desiderare* addidit. Librarium autem literam A, quae semel scribenda esset, per errorem bis scripsisse et SOLITA FUGITIUORUM CONUICIA reponendum esse, vix adducor, ut credam, quum vocabulum FUGITIUORUM lacunae spatium non capiat. De ceteris velim sic habeas, in apographo Chevaneo, uti Fr. VI. lin. 5. MALISQ pro MAGISQ·, ita hoc loco FULI, quod Gerlachius *Fuli* scripsit, pro FUGI exstitisse et literas ONOACTA literis ONUICIA respondere, iisque vocalem E ex sequenti ET temere adiectam esse.

Lin. 5. 6. ET IN CAS . . . . ONIECTUS LAPIDUM] ET IN CASS . . . . . NI ICTUS SI ARIDUM Bim. Hic quoque in apographo Chevaneo litera S post CAS et ICTUS temere iterata atque vocalis O praetermissa est. Schlüterus autem pro ARIDUM, errore lapsus, ARRIDUM posuit[14]). Neque tamen est, quod dubites, Salustium ET IN CASTRA CONIECTUS LAPIDUM, scriptum reliquisse. Cic. Epp. ad Att. IV, 3. *Quinti fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area nostra.*

Lin 7. 8. . . . . . C STREPITUS TUMUL . . . . I SONORES] . . . . . . STREPITUS TUMUL . . . . I CON . RES Bim. Pro CON in Schlüteri editione NON legitur. Totum autem locum ita esse supplendum, ut AD HAEC STREPITUS TUMULTUOSI SONORES reponatur, Niebuhrii apographum praestare videtur. Sic Tacit. Ann. I, 65. *quum barbari festis epulis, laeto cantu aut truci sonore subiecta vallium ac resultantis saltus complerent.* Add. Ann. IV, 48. et XIV, 36. Praeterea vocabulum *tumultuosus* admonet loci Liv. XLI, 22. ubi, quum in cod. Vindob. exstet: *nuntios tumultuo . . . misit,* pro eo, quod Grynaeus edidit: *nuntius tumultus eius venit,* rescripsi: *nuntios tumultuosos misit;* quod cur Baumgarten-Crusio

14) Interdum librarios quoque ita peccasse, ut literas male duplicarent, et satis constat, et luculento comprobat exemplo locus Liv. XLV, 29. ubi pro summotor aditus, quod Grynaeus edidit, in cod. Vindob. summoto additu legitur. Tantum autem abest, ut codicis scripturam confirmare existimem viri docti coniecturam, qui teste Drakenborchio summotor additus scribendum esse, ad marginem ed. Curionis opinabatur, ut, quum Livius, si hoc voluisset, haud dubie summotori sive potius lictori additus praeco etc. positurus fuisset, aliam huic loco medelam adhibendam esse censeam. Vulgatum enim ferri nequit, quum summotor aditus neque eum, qui submovet, ne adiri possit, quae pessima est Gesneri interpretatio in Thes. Lingu. Lat. proposita, neque eum, qui submovet, ut adiri possit, sive, ut verbis Ernestii in Gloss. Liv. utar, eum, qui submovendo viam et aditus facit, significare queat, et lictor recte quidem summotor populi dicatur, summotor aditus non item. Quae quum ita sint, codicis scripturam pressius secutus neque consuetudinis Latinae oblitus edidi: submoto sive summoto aditus, de qua lectione Baumgarten-Crusius haec adnotavit: „Quod Kreyssigius dedit, submoto „aditus, quum non intelligam, religiosius repetere nolo:“ idemque ad huius libri cap. 7. ubi, quum pro donec consul lictores misisset, qui submovendo iter ad praetorium facerent, in cod. Vindob. donec a consule lictores misissent qui summoto iter etc. reperissem, emendatione certissima

displicuerit, non perspicio. Hic enim *nuntii tumultuosi* vocantur, qui, ut Livius ipse II, 24. et XXVII, 33. dixit, *cum tumultuosa advolant nuntio*, sive *tumultum adferunt*.

Lin. 8. 9. UNDIQ· . . . . UM] Vide, an UNDIQ· PRAEDANTIUM scribendum sit. Cetera, quae sequuntur, aliorum studia exerceant. Nos omnem lectionis diversitatem enotasse satis habebimus.

Lin. 9. EQUITES] EQUITIS Bim. Hoc illi nemo praeferet, quum verbum *mittit* praecedat. Et Freinshemius quoque scripsit: *missique sunt equites*.

Lin. 10. 11. PRO . . .] Si Livii haec essent, haud cunctanter reponerem PROSPECULATUM, quod Liv. III, 43. pro vulgari *speculatum* legitur.

Lin. 11. UT EXPLORARENT] UI EXE ORARENT Bim. Extremae verbi EXPLORARENT literae NT in schedis Vaticanis in unam figuram coaluerunt, idemque scripturae compendium Fr. VII, lin. 12. in verbo

scripsi: donec a consule lictores missi essent, qui submoto sive summoto iter ad praetorium facerent, lectioni a me receptae: a consule lictores missi essent, in adnotationibus haec subiecit: „Kreyssigius pro vulg. „consul lictores misisset. Eidem, submoto scribenti, non parui, quum me„rum compendium longioris formae id videatur.“ Utinam paruisset. Scito enim, Romanos, id quod ex Liv. XXV, 3. ubi, si quid mutandum, verba: locum cuneo, delere, quam cum Baumgarten-Crusio per vacuum summoto populo locum cuneo irruperunt vel cuncti irruperunt, scribere malim, et XXVIII, 27. atque Fr. Gronovii et Drakenborchii adnotationibus ad hos locos intelligitur, in summoto vel summoto incedere breviter dixisse, pro populo per viatores aut lictores summoto incedere: quod, quum verbum summovere de utroque apparitorum genere proprium esse constet, nemo mirabitur. Quemadmodum igitur Liv. XLV, 7. lictores Perseo regi summoto iter ad praetorium fecisse dicuntur, ita etiam nostro loco verba: summoto aditus, quae librarii errore in summoto aditu sive additu abierunt, commode per in summoto aditus, i. e. aditus ad tribunal a lictoribus summoto populo patefactus, explicari poterunt. Itaque nihil impedit, quo minus vocabulum summotor, licet sequentia praeco et accensus personae nomen requirere videantur, pariter ac summotus, quum Plin. H. N. VIII, 46. non cum Harduino incedit summotu lictorum, sed cum Salmasio incedit summoto legendum sit, in malam rem abire iubeamus.

TRAHEBANT reperitur. Priusquam apographi Niebuhriani copia fieret, UT ENIXE ORARENT, scribendum esse auspicabar. Idem vocabulum, licet opinioni nostrae adversari videantur, quae Lindemannus ad Vitas Duumvirorum etc. p. 246. monuit, nuper restitui Liv. XLII. 29. ubi in verbis: *et ipse legatis eorum eximie pollicitus erat,* pro *eximie,* quum cod. Vindob. *exine* offerat, in altera Livii editione *enixe* reposui [15]). Similiter saltem Liv. III, 8. *impigre promissum auxilium.*

Lin. 12. PROPERE] PROTIRE Bim. De literarum PE et TI permutatione vid. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 79. 80. et 164. 165. p. 415. et 442.

Lin. 13. . . S CREDENS LO] . . S CREDENS IO Bim. Literas I et L saepissime confusas esse docui in Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 41. p. 396.

Lin. 14. . . OLAMEN AG] . . OTA MENAG Bim. In his MAGNO TAMEN AGMINE latere, olim opinabar. At quum Niebuhrii apographum . OLAMEN exhibeat, quid vocabulum SOLAMEN hic sibi velit, exputare

15) Persimili duarum literarum transpositione et unius mutatione Lindemannus, ut nomen silvae L. Postumii Albini clade infamis, quam Galli, id quod Liv. XXIII, 24. testatur, Litanam vocabant, Ciceroni restitueret, Tusc. Disp. I, 37. pro Latini Albinum haud dubie Litana Albinum esse reponendum, egregie docuit in libello scholastico, Zittaviae a. 1826. edito. Atque hanc coniecturam, per se admodum probabilem, magis etiam confirmare potuisset loco Liv. XXVIII, 28. ubi iidem fere, quos Cicero nominavit, a Scipione commemorantur Romanorum imperatores, bello Punico secundo interfecti. Ceterum haec in memoriam revocant locum Liv. XLV, 3. ubi pro vulgato: ut Latinae edictae a consule sunt, quum in cod. Vindob. decrevitur latinae etc. legatur, atque librarius, ut alibi, v. c. XLIV, 5. de quo loco cf. not. 23. aliis vocabulis, ita hic etiam verbo decrevit literas ur temere adiecisse videatur, orationem lacuna, credo, deformatam expleturus in altera Livii editione scripsi: sine dilatione edictae a consule sunt. Hoc enim, quum syllabae latione facile in latine sive latinae abire potuerint ad codicis scripturam propius accedit, quam et statim edictae a consule sunt, quod Baumgarten-Crusius ex Iac. Gronovii coniectura recepit, atque praeterea aliquatenus saltem confirmatur locis Liv. XIV, 25. de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, et Vellei. Pat. II, 50. aliisque, qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis.

non possum. Neque melius huius loci emendatio procedet, si *Nolam*, Campaniae urbem, hic a Salustio commemorari dixeris. Tum enim in literis ENAG tibi aqua haerebit.

Lin. 15. . . AUENS] . PAUENS Bim. Olim igitur litera P in vetustis membranis non prorsus exolevisse videtur.

Lin. 16. . . DUPLI] . M DUPLI Bim. Vid. Adnotatt. ad Fr. VIII. lin. 9—11.

Lin. 17. . . CUMAS] . . UM A Bim. Num *Cumas*, aliquantum ab urbe *Nola* dissitas, Salustius hic memoraverit, an DECUMAS scripserit, dicat Cumana Sibylla, non ego.

Lin. 18. . . CA] . . DA Bim.

IV.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 7. et 8. Bross. Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 72. et Lib. IV. cap. 5. atque Meissner. Spart. p. 55. sq.

Lin. 2. ALIQUOD DIES] *aliquot dies* Putsch. „Mirum, Dousa in„quit, ni, *Aliquo die*, vel certe, *Post aliquot dies* legendum, inducendum„que τὸ *coepit*, tanquam glossema." Hoc nemo facile probabit [16]): illud

16) Neque tamen nego, glossemata, quae vocantur, in codicibus antiquissimis reperiri. Sic Liv. XLI, 17. et 18. pro Eodem in cod. Vindob. eodem ipsaa et eodem tempore legitur, quorum illud, quod Grynaeus recte omisit, ex Pisas subortum esse, docet cap. 14. ubi in eodem codice ipsa pro Pisas scriptum exstat: hoc autem, quod Grynaeus minus recte servavit, iam a Frobenio iure meritoque eliminatum esse, ex Liv. XXI, 17. apparet, ubi vocabulum anno post eodem in ed. Mogunt. inculcatum atque in nullo codice repertum de Fr. Gronovii sententia in altera Livii editione expunxi. Alia autem ratio est loci Liv. XLII, 47. et eodem rursus in Graeciam cum quinqueremibus remitteretur, ubi Doeringius et Heusingerus, qui Gronovio Liv. XXI, 17. eodem in nondum mutaturo recte adversati sunt, lectionem vulgatam contra Dukerum et Crevierium, quibus verba: in Graeciam, suspecta fuerunt, bene defendisse videntur. Utreque tamen loco Heusingerum, quam Doeringium, sequi malim.

autem, POST ALIQUOT DIES scribendum esse, omnes adsensu comprobabunt. Constat enim, alibi quoque in codicibus antiquis, veluti Vindob. Liv. XLII, 36, 4. cap. 57, 11. cap. 64, 1. cap. 66, 2. aliisque locis, *aliquod* pro *aliquot* scriptum reperiri. Verba: *aliquot dies*, Freinshemius omisit.

Lin. 3. 4. AUGERI NOS-TRIS] AUGERINUS TRIS Bim. Sed AUGERI NOSTRIS, quod iam Dousa recte edidit, scribendum esse, Bimardus monuit.

Lin. 4. ET PROMI LINGUA] ET PROMI LINGU . Bim. Litera A, quae in apographo Chevaneo omissa est, in schedis Vaticanis non desideratur, sed cum praecedenti U in unam figuram coaluit. Dousa: „Huic, in„quit, consonum Iugurthinum [cap. 44.] illud: *Lingua, quam manu prom„ptior.*" Vid. quae Cortius ad h. l. adnotavit. Ceterum Freinshemius, ne Livii personam sumeret, *nostris* in *Romanis* mutavit et vocabulis transpositis scripsit: *fiducia augeri Romanis et promi lingua coepit*, ut oratio aptius scilicet concluderetur. Similiter nos quoque olim Liv. XXXII, 39. coll. XXXIII, 39. et XXXV, 16. ex solo cod. Lips. reposuimus: *ubi de conditionibus amicitiae agi coeptum est*, pro *coeptum agi est*, quod nuper in altera Livii editione revocavimus. Etenim non solum Liv. III, 14. *lex coepta ferri est*, VIII, 2. *coepta fieri est*, XXI, 15. *non coeptum oppugnari est*, et XXIII, 30. *quam coepta oppugnari erat*, vulgo editur, sed etiam XXXVII, 1. ubi Aldus vulgatum: *coeptum est agi*, ex cod. Mogunt. recepit, in plerisque codicibus et editionibus principibus legitur: *coeptum agi est*, quod illi praeferendum videtur; praesertim quum Livius XXXVI, 14. similiter scripserit: *Philippo tradita regi est.*

Lin. 5. 6. CONTRA SPECTATAM REM] Brossius vertit: *Varinius, échauffé lui-même de ce premier mouvement qu'il n'attendoit guere d'eux*, etc. atque verba: *contra spectatam rem*, vel in *contra exspectatam rem* mutanda, vel per *contra exspectationem* explicanda censuit. Neutrum placet. Etenim Salustius non fiduciam contra spectatam rem militibus Romanis auctam, sed Varinium hac militum suorum fiducia contra spectatam rem incaute motum esse dixit. Huc accedit, quod librarius non solum hoc loco, sed etiam Fr. VII. lin. 18. 19. in vocabulis dividendis peccavit, et verbum *spectare*,

saepius quidem a librariis pro *exspectare* positum, neque hic neque alibi in eiusmodi orationis contextu idem quod *exspectare* ex Latini sermonis consuetudine significare potest. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXX, 24, 7. Quam ob causam verba: *contra spectatam rem,* potius idem valere videntur, quod *re nondum spectata,* i. e. *militum virtute nondum explorata,* quum novi et incogniti essent. Ceterum pro *qua,* sc. *lingua* sive *magniloquentia,* non opus est, ut Freinshemium secuti *quo* scribamus.

Lin. 6. INCAUTAE] *incautae* (f. *incaute*) Dous. *incaute* Putsch. Post Dousam Bimardus quoque ita scribendum esse monuit et Freinshemius scripsit. Similiter Liv. XLI, 24, 3. pro *occulte* in cod. Vindob. *occultae* legitur. Vid. Adnotatt. ad Fr. VII. lin. 2. et 18.

Lin. 7. 8. INCOGNITOS-Q·] INCOGNITO-Q. Bim. Sed Dousa et Freinshemius recte *incognitosque* ediderunt. Nam in schedis Vaticanis INCOGNITOSQ· ita scriptum est, ut Ī pro IN sit positum et literae OS in unam figuram coaluerint. De copula Q·, pro qua Bimardum literam R posuisse, Gerlachius in lectionis varietate falso prodidit, in versum sequentem translata, vid. Adnotatt. ad Fr. II. lin. 7. 8.

Lin. 8. CASIB·] CASIBUS Bim. Illud Niebuhrii apographum exhibet. Vid. Adnotatt. ad huius fragmenti lin. 20. et Fr. I. lin. 12.

Lin. 9. TAME˜] Hoc vocabulum referendum est ad *etsi* vel *quamvis,* quod in praecedentibus latet. Cf. Ernestii Glossar. Liv. s. v. *tamen,* et Ramshornii Gramm. Lat. §. 205. p. 689. sq.

Lin. 11. PRESSO GRADU] Haec verba, quae Cortius, cui Frotscherus accessit, ab iis, quae praecedunt, male separavit, Brossius recte vertit: *en rallentissant le pas.* Liv. XXVIII, 14. de Scipione: *Hispanos presso gradu incedere iubet,* cui *citato gradu in hostem ducere* ibidem opponitur, ut alibi *pleno gradu,* de quo vid. Drakenborch. ad Liv. IV, 32, 10. Sic etiam Liv. VIII, 8. *pede presso* et Ovid. Met. III, 17. *presso gressu* legitur. Pro SILENTIS, quod sequitur, et SUMENTIS, quod lin. 12. 13. reperitur, Dousa atque Freinshemius *silentes* et *sumentes* scripserunt, iisque Frotscherus cum aliis obsecutus est; Gerlachius non item. Vid. Adnotatt. ad Fr. VII. lin. 8. 9.

Lin. 13. PROELIUM] *praelium* Putsch. Illud praestat. Quemadmodum autem Salustius hoc loco cum Tacit. Hist. II, 42. Sueton. Caes. cap. 60. et Macrob. Sat. I, 16. *proelium sumere* dixit, pro *inire proelium*, ita apud eundem Iug. cap. 20. et 83. Liv. I, 42. XXXVI, 2. et XXXVIII, 19. Tacit. Ann. II, 45. XIII, 54. et Agr. cap. 16. Sil. Ital. I, 272. Petron. cap. 122. Aurel. Vict. cap. 11. aliosque *bellum sumere* legitur, pro *bellum suscipere*. De vocabulo *magnifice*, i. e. *gloriose* sive *iactanter*, cf. interpretes ad Tibull. II, 6, 11.

Lin. 14. 15. CERTAMINI CONSILII] *certamini conscii* Putsch. Dousa haec adnotavit: „*Atque illi certamini consilii* (lego *conscii*) *inter se* [17]) *iuxta* „*seditionem erant*, id est, *seditioni proximi erant:* cui succedanea locutio „illa Taciti [Ann. VI, 13.]: *iuxta seditionem ventum*, id est, *parum ab-* „*fuit* [18]), *quin res ad seditionem spectaret.*" Vid. Adnotatt. ad huius fragmenti lin. 15. 16. Praestat tamen, licet vocabulo *conscius* interdum casus tertius iungatur, cum Freinshemio, qui *At fugitivi* pro *Atque illi* posuit, CERTAMINE CONSILII scribere, quum fugitivorum duces de belli ratione inter se dissensisse, ex sequentibus appareat, atque literae E et I saepius in his fragmentis aliisque locis permutatae sint. Vid. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 79. 80. p. 415. Atque hanc ipsam ob causam forsitan Liv. XLII, 2. ubi pro *bellum parari*, quod Grynaeus edidit, in cod.

17) Verba: inter se, in horum fragmantorum textu, quem huius Comm. Part. I. p. 21. sq. exhibui, per typographi errorem a me non correctum interciderunt.

18) In Adnotationibus ad Liv. XXVI, 39. nondum editis de verbis: ne urbs eodem impetu caperetur, haec scripsi: „Doeringius: „Si, inquit, ante ne verba: parumque abfuit, quae in cod. Pal. 2. se invenisse ait Gebhardus, in textum receperis, bene sane procedet oratio." Cave hunc pannum orationi Livianae paullo negligentius compositae adsuas. Romanos enim non parum abest, sed haud sive non multum, haud procul, non longe et paullum abest dixisse, atque his formulis non ne, sed quin subiunxisse, inter viros Latine doctos constat. Tirones relegamus ad Iani Lexicon philologicum s. v. abesse, ubi tamen ex Sueton. Ner. cap. 28. perperam parum abfuit, quin, pro paullum abfuit, quin, adfertur, et Aug. Matthiaei Eloquentiae Latinae exempla, p. 184. ubi recte editor doctissimus: „Parum abest, inquit, non dicunt Latini, — hoc enim esset non satis abest — sed non multum abest."

Vindob. *non bellum parari* legitur, coll. cap. 13. scribendum: *Facile tamen apparuisse sibi, nunc bellum parare, nec ultra ad arma ire dilaturum,* ut utrumque aequabili verborum structura ad regem Persea referatur.

Lin. 15. 16. IUSTA SEDITIONEM ERANT] Ita quidem in schedis Vaticanis scriptum est. Sed iam Dousa et Freinshemius rectius ediderunt: *iuxta seditionem erant,* i. e. *haud procul seditione aberant,* ut Liv. VIII, 32. loquitur. De perpetua vocabulorum *iuxta* et *iusta* permutatione [19]) vid. Drakenborch. ad Liv. VI, 6, 18.

Lin. 18. LIS ATQ·] Idem Bimardus ex apographo Chevaneo edidit. Sed in editione Divionensi IS ATQ. legitur, quem typogrsphi errorem Schlüterus non correxit: Gerlachius autem pro *atque Germanis* temere *et Germanis* scripsit, Frotschero non obsecundante.

Lin. 19. ULTRO FERRE PUGNA˜] Pariter Liv. XXVIII, 8. *ut Dardanis bellum ferret,* pro *inferret,* in sex codicibus reperiri, Drakenborchius testatur et de hac locutione suas adnotationes ad Sil. Ital. III, 365. ubi Rupertius *bella ferens* vulgato *bella gerens* praetulit, conferri iubet. Rectius tamen Dousa et Freinshemius ULTRO OFFERRE PUGNA˜ scripsisse videntur, quum syllaba OF a praecedenti O et sequenti F facile potuerit intercipi. Similiter in cod. Vindob. Liv. XLI, 20. pro *potest testis esse,* quod Grynaeus recte edidit, *potest esse,* XLII, 29. pro *mansuras res esse,* quod vulgato *mansuras res* substitui, *mansurasse,* XLV, 5. pro *nullo pacto auctor esse,* quod Grynaeus optime restitnit, *nullo pacto res esse,* et cap. 7. pro *missi essent,* quod in locum vulgatae lectionis *misisset* reponendum esse, supra not. 14. docui, *misissent* scriptum est, de quo vitiorum ge-

19) Soni similitudo, quae literas B et V atque S et X intercedit, portentosum illud vovisse scenaris peperit, quod Liv. XLI, 15. in cod. Vindob. repertum non tam cum Grynaeo in bovis sescenaris, in quo explicando interpretes frustra elaborarunt, quam cum Graevio in bovis eexcenarii, i. e. bovis, cuius pondus erat sexcentarum librarum, mutandum esse apparet. Similiter enim Liv. XXXVIII, 25, 10. in cod. Bamb. librarius sescentorum pro eexcentorum posuit, de quo scribendi modo vid. Maium ad Cic. de Rep. I, 37. et Niebuhrium ad Cic. Oratt. Fragmenta, p. 62.

nere [20]) vid. Drakenborch. ad Liv. XXXIX, 6, 2. et XL, 57, 8. nostramque Epist. ad Goeller. p. 459.

Lin. 20. CUPIENTIB· CONTRA SPAR]. CUPIENTIBUS CONTRA SPARTA Bim. Haec recte quidem, sed non satis accurate in exemplo Chevaneo scripta fuisse, ex Niebuhrii apographo intelligitur. Vid. Adnotatt. ad huius fragmenti lin. 8. Praeterea non *contra Spartacum*, quod Dousa edidit, sed *contra Spartaco* scripsi, quum hic ablativus, id quod Freinshemius, qui casu dativo posuit nomen *Spartaco*, non perspexit, ad alterum *Crixo*, qui praecedit, referendus sit. Aliam enim sententiam Crixus cum Gallis et Germanis, aliam Spartacus cum ceteris sequebatur.

V.

Lin. 6. ET EXTIN : . .] Hoc saltem ex his intelligitur, librarium non *exstinguere*, sed *extinguere* scripsisse. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 555. sqq.

Lin. 7. 8. . . IS-SET HAU .] Hos versus cohaerere et HAUD scribendum esse, literae residuae docent.

20) Eodem fere modo depravatus esse videtur locus Liv. XLII, 44. ubi pro in magno tumultu erant, quod Grynaeus, licet Livius XXXI, 10. et XXXII, 21. ita loquatur, ex cod. Vindob. scriptura: in magno tu erant, parum probabiliter exsculpsit, nescio an rectius scripseris: in magno motu] erant. Sicuti autem hoc loco syllabam mo a praecedenti no obliteratam esse suspicor, ita Liv. XLII, 28. ubi, quum pro minus compotem fuisse sui, quod Grynaeus edidit, in cod. Vindob. conpetem fuisse sui, omisso vocabulo minus, scriptum reperiri, Kopitarius auctor esset, in altera Livii editione reposui: non compotem fuisse sui, particulam non a sequenti syllaba con interceptam esse opinabar. Vid. de hoc ipso librariorum errore Goeller. ad Liv. XXXIII, 20. p. 100. et nostram Epist. ad Goeller. p. 447. Postea tamen, inspectis literis, quas Kopitarius de singulis Livii locis denuo cum cod. Vindob. collatis ad me dedit, codicem minus conpetem fuisse sui, exhibere ideoque hoc loco pariter ac Liv. XLII, 42. ubi, quum pro multo ante in cod. Vindob. multo anno legi, idem Kopitarius in codicis collatione, quam vocant, perperam adnotasset, in maiore Livii editione multos annos scripsi, vulgatum retinendum esse intellexi.

Lin. 9. 10. QUAMC . . . . UD ALIAM] Priora Niebuhrii apographum ita mutilata exhibet, ut litera ultima pro C vel literarum O et Q parte dimidia haberi possit: posteriora per ALIUD ALIAM supplenda videntur.

Lin. 10. 11. SPE ENDAM] Quid in his lateat, alii viderint. Neque S PETENDAM, neque SPERNENDAM Salustium scripsisse, probabile est.

Lin. 11. 12. PR . DENTES] Et haec cohaerent, sive PRODENTES, sive PRUDENTES fuerit scribendum.

Lin. 13. 14. PAU DANTQ·] Hic quoque caecutio. Vide tamen, an PAUIDAMQ· vel PRODANTQ· legendum sit.

Lin. 15. 16. . . TS ADFLUENT . . .] Literae TS in ES vel IS mutandae videntur: ceterae sunt particulae verbi *adfluere*. Nam vocabulum *fluentum* in pedestri oratione poni nequit.

Lin. 16. 17. . . O FI-DENS AU . . .] Nescio an Salustius TANTO FIDENS AUXILIO scripserit.

Lin. 17. 18. PATRI-AE] Haec connectenda esse, nemo non intelligit.

VI.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 9. et 10. Bross. Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 65. et 68. atque Meissner. Spart. p. 42. et 53.

Lin. 3. 4. TIMU . UUIDL . . MA DEINCEPS] TIMILIRUIT . . . . CEPS Bim. Haec maximam partem dubia esse [21]) et literas DL ad literarum BE similitudinem accedere, Niebuhrius auctor est. Nihil igitur, praeter vocabulum DEINCEPS, ex hoc naufragio evasit.

21) Quum in multis Livii locis, quos Grynaeus incassum, ut videtur, emendare conatus est, non minus ambigua sit cod. Vindob. scriptura, eius exempla quaedam insigniora hic ponere iuvat, ut alii habeant, in quo ingenii acumen experiantur. Liv. XLI, 18. posuerit] o p o r t e r e t. Hic locus iam dudum me torsit. Cap. 19. nec liberavit eius culpae regem] n e l i b e r a r e e i u s c u l p e r e g e m. Quo minus scribas: n e l i b e r a-

Lin. 4. IN . AXIOAIS] IN . . . . Bim. Literas AI in N vel RI mutari posse, idem Niebuhrius testatur. Nemo tamen praestiterit, Salustium IN LAXIORES sive LATIORES AGROS scripsisse. Vid. Drakenborch. ad Liv. X, 5. 6.

ret etc. sequentia prohibent. Vid. Frotscher. ad Quinctilian. Instit. Orat. X, 1, 101. atque cf. Liv. XLIII, 1. XLIV, 4. et XLV, 5. ubi etiam nec — neque reperitur. Cap. 24. ne interdictione finium nostrorum et nos quoque regno arceamus] ne interdictione finium nostros quoque et nos segni arceamus. Livium et nos quoque scripsisse, magnopere dubito. Vid. interpretes ad Cornel. Nep. Ages. cap. 6. ubi similiter et cum quoque iungitur. Sed hic etiam locus de mendo suspectus est. XLII, 5. in *annorum pensiones] in z annorum pensiones. Quid haec nota significet, me ignorare fateor. Cap. 29. evidenter] e i ad. Quid huic loco facias? Cap. 47. venturum] haecum venturum. Num librarii oculus ad sequentia: Haec, ut etc. aberravit? Cap. 59. turbaretur. gladiis hastas petere pedites, nunc succidere crura equis, nunc ilia subfodere] turbaretur . . . . . . dis hastas petere pedites. . . . . mqui nunc succidere crur . . . . nunc ilia suffodere. Recte igitur, quicquid Baumgarten-Crusius cum Sigonio et Drakenborchio obloquitur, lacunarum signa restitui. Has expleat, cui lubitum est. Cap. 61. Tumulus hic inter Tempe et Larissam medius est] tumulus hyc ente tempeste est eminet larisae medius abestonum, omisso nomine Romani, quod cap. 62. sequitur. Propterea in altera Livii editione scripsi: Tumulus hic ante Tempe est et eminet Larissae medius * * Malim tamen: et imminet Larissae. Cetera alii expiscentur. Cap. 63. libramento plumbi] nunc libramento plumbi. Quemadmodum XLV, 37. ante neque fecerunt, ita hoc quoque loco integra orationis particola, veluti: nunc saxis ingentibus, intercidisse videtur. Cap. 64. et intentus propugnationi castrorum] et inconste oppugnationis castrorum. Lacunae signo hic quoque posito, ut haec verba ad Persei temeritatem referantur, scripserim: et inconsultae oppugnationis castrorum. Cf. Ernestii Gloss. Liv. s. v. inconsultus. Cap. 65. Anceps] religes. Illud, quod Grynaeus haud dubie ex XXI, 28. sumpsit, in hoc abire non potuit. Certiora tamen et meliora dare nequeo. Syllaba re, quae in versus fine legitur, ex praecedenti ingerere male repetita videtur. Quid autem latet in literis ligea? Num ingens scribendum? Cf. Ernestii Gloss. Liv. s. v. circumstare, et Schulzium ceterosque interpretes ad Dial. de Oratt. cap. 8. Cap. 66. onustis: iis caesis] onustiis caesis. Vid. Iacobsii Notas in Livii Lib. XXXIII. p. 390. sq. XLIV, 14. mari intercluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus atque commeatibus] mari interim incluso inopiam insulam inopem miss . . . . ritimis iuv . . . colendi itaque commeatibus. Depravata corrigat et lacunosa expleat, cui lubitum est. Cap. 26. per viam quanta omnium praeparata cura regis copia multitudini foret] per quem quantam omnium praepara-

Lin. 5. MAGISQ· PE . URIO] MALISQ PE . URIO Bim. Sicuti hoc loco in apographo Chevaneo MALISQ pro MAGISQ· scriptum erat, ita Fr. III. lin. 4. in eodem FULI pro FUGI exstitisse vidimus. Quid autem

tam cura regis copiam intuli forent. In verbis: per quem, haereo; in ceteris non item. Quippe veram, nisi fallor, lectionem codex offert, si discesseris a verbis: intuli forent, pro quibus, quum huius libri cap. 7. ferre pro fore et cap. 23. inlyris pro Illyriis in cod. Vindob. scriptum exstet, inlyri sive Illyrli ferrent, reponendum videtur. Cap. 28. reversis decem lembis] ingressis ex lembis. Utrumque librarii errorem, quem praecedens progressi sunt et nota X, qua numerus denarius significari solet, praebuisse videntur, Grynaeus mea quidem sententia, quum regressis vel reversis sex lembis scribi nequeat, non minus bene correxit, quam XLII, 36. pro et traxi diem, quod cod. Vindob. offert, intra XI, i. e. undecimum diem reposuit. Cf. nostras Adnotatt. ad Caes. B. C. III, 7. Similiter Liv. XXIII, 13. vulgato: argenti multa talenta, in altera Livii editione substitui: argenti ML vel ML[ta] talenta, i. e. mille quinquaginta talenta. Cap. 36. et, meridie instante, magis accessurum utrumque adparebat] et meridie aestate magis adcesserunt tum mox adparebat. Verba: meridie aestate, quum librarius, quem XLV, 13. vocabula legatorum et legati ita conturbarunt, ut pro Gratulati deinde victoriam sunt, quod Grynaeus, nisi malis: dein de sive deinde de victoria, probabiliter restituit, perperam scriberet: legati deinde victoria sunt, ad antecedens meridie, quod pro meridiem in codice legitur, recurrisse videatur, in media aestate mutanda esse suspicor. De ceteris alii viderint. Cap. 40. neutro] ne tot. In hoc aqua mihi haeret. XLV, 2. ad tribunal] at urbi. Quid hoc sibi vult? Cap. 14. aequitate sua postea trium regum bellis deinceps omnibus functum officiis] aequitatis iis postea trium regum bellis deinceps omnibus eum fructum officii. Pronomen eum Livio iam restitui. Totus tamen locus, quum excitatis pro aequitatis iis scribendum esse, nimis audacter coniecerim, nondum persanatus est. Cap. 26. tota multitudine] tot omnium multitudinem. Vide igitur, an, quum tot hominum multitudine, orationis contextus respuat, scribendum sit: tota oppidanorum multitudine. Sed hoc quoque displicet, quum multitudo alibi a Livio aliisque scriptoribus simpliciter pro urbis incolis sive oppidanorum turba ponatur. Cap. 27. circumeundam] ad circumeundam. Hoc placet: dummodo ut statuit, quod sequitur atque circumire et visere potius, quam circumeundam et visenda requirit, orationis structuram a participio profectus pendere patiatur. Cap. 35. cui ipsi quoque se comparare erubuissent] cum ipsi quoque se conparare debuissent. His adde, quae infra not. 23. et 29. de locis Liv. XLII, 14. XLIV, 3. et 6. atque XLV, 27. adnotavimus.

literis PE.URIO fiet? Num PERIURIO, an, quum *agros* praecedat, PERURIT in iis latet? Liv. XXIV, 20. *perusti late agri*, et XXVI, 13. *perussit Calenum agrum*. Neutrum tamen huic loco convenire videtur. Adiectivum autem, quod, veluti PERUIOS, in syllabam *os* desinat et ad nomen *agros* referri queat, mihi non succurrit.

Lin. 6. 7. UT EGREDIANTUR UBI PRIU . QUAM] UE EGREDIANTOR UBI PRIL QUAM Bim. *egrediantor. pri . . quam* Gerl. Idem Frotscherus quoque minus accurate exhibuit. Quum in schedis Vaticanis exstet PRIU, dimidia literae U parte et litera S integra in membranae margine abscissa, Bimardus PRIL, editor Divionensis autem et Schlüterus PRI? posuerunt. Sed cum Freinshemio, qui lin. 2—6. omisit, PRIUSQUAM scribendum esse apparet.

Lin. 7. REFECTO EXERCITU] RELIGIO EXERCITU Bim. RELIQUO EXERCITU Schlüt. Verum hoc, quod Schlüterus non ea, quae criticos decet, diligentia edidit, neque in schedis Vaticanis exstat, neque in apographo Chevaneo legebatur. Bimardus potius RELIQUO pro RELIGIO scribendum esse coniecit, et iam ante eum Freinshemius, quem Brossius sequitur, scripserat: *cum reliquo exercitu*, praepositione contra Livii morem adiecta. Liv. III, 23. *reliquo exercitu haud procul moenibus Tusculi considunt*, et X, 15. *Etrusci omnibus copiis aderant* [22]). Vid. nostram Epist. ad Goeller. p. 439. Quo magis autem miramur, Freinshemium veram huius loci scripturam eruere non potuisse, eo impensius laetamur, Niebuhrio contigisse, ut Salustium REFECTO EXERCITU scripsisse perspiceret. Iam vero, quum Liv. III, 10. *reficere exercitus* idem significet, quod *exercitus supplere*, atque VIII, 36. *refecto exercitu* sit idem, quod *exercitu ex vulneribus recreato*, quo sensu Salustius exercitum Varinii *refectum* dixerit, dubium videatur. Sed si ea, quae Fr. I. lin. 6—18. de Varinii militibus narrantur, cum hoc loco contuleris, *refecto exercitu* milites partim in supplementum additos, partim ex morbo recreatos denotari, facile intelliges.

22) His locis adde Liv. XLV, 26. ubi pro cum reliquo exercitu in cod. Vindob. vitiose quidem reliquae exercitum legitur, sed tamen omissa praepositione, quam Grynaeus, licet haec vocula ab antecedenti nomine Illyrico facile potuerit intercipi, non idonea de causa adiecisse videtur.

Lin. 8. ADESSET] ADESSE Bim. Haec lectio mendosa, quae vel sine schedarum Vaticanarum usu potuisset corrigi, in causa fuisse videtur, cur Bimardus, non Spartaci, sed Varinii iter hic a Salustio describi ratus, totius narrationis ordinem perturbaret atque huius fragmenti summam ita exponeret: „Indicat fragmentum sextum, qua via P. Varinius adversus fugi„tivos perrexerit, atque contra Spartacum duxerit *selectos* milites, *priusquam* „*reliquo exercitu augeretur*, quum *propere nanctus* esset *idoneum ex capti*„*vis ducem*; *Centinis* scilicet, deinde *Eburinis iugis*." Extrema enim quinque vocabula addenda esse, monuit Bimardus in Praefatiuncula Muratorii Thes. Inscriptt. Tom. II. praefixa.

Lin. 9. NUMERUS LECTIS UIR . .] NUMERO SELECTIS UIR. . Bim. Quum litera S a praecedenti vocabulo esset avulsa, ex coniectura parum felici SLECTIS in SELECTIS mutatum esse videtur. Nam *lectis viris* idem est, quod *viris delectis*, non *ad bellum lectis*, de qua formula vid. Burmann. ad Ovid. Met. VII, 669. Recte igitur Brossius vertit: *avec ses meilleures troupes*, i. e. *cum robore exercitus*, ut Latini loquuntur. Cf. Mitscherlichii Lectiones in Catull. et Propert. p. 5.

Lin. 10. NANCTUS] Hoc ab editore Divionensi, quem Schlüterus est secutus, in NACTUS temere mutatum est. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 463.

Lin. 11. EX CAPTIUIS DUCEM] ET CALLIVIS DUCIS Bim. Itaque non erat, cur Freinshemius, quod mireris, scriberet: *idoneos ex callibus duces*, quibus Brossius, licet Bimardus genuinam huius loci scripturam: IDONEUM EX CAPTIUIS DUCEM, coniectura perspexisset, in interpretatione haec substituit: *guidé par un des bergers esclaves, dans les chemins étroits qui le couvroient.* De permutatione vocularum *et* atque *ex* vid. Adnotatt. ad Fr. III. lin. 5. 6.

Lin. 12. 15. PICENTINIS DEINDE EBURINIS IUGIS] ET CENTINIS DEINDE EBUR NIS IUGIS Bim. Qua quidem lectione inductus Bimardus, quum Freinshemium codicis scripturam recte exhibuisse ignoraret,

SONTINIS et ALBURNIS reponendum esse putavit[23]), quum *Sontini* a Plin. H. N. III, 11. commemorentur et *montis Alburni* a Virg. Georg. III, 147. aliisque mentio iniiciatur. Sed eodem Plinii loco *Eburini* quoque memorantur, et III, 5. *ager Picentinus*, de quo vid. Tzschuck. ad Mel. II, 4. Vol. III. Part. II. p. 364.

23) Quamquam vanae sunt Bimardi coniecturae, iusto tamen audaciores eas non dixerim, quum librarios nomina propria pessime corrupisse, inter omnes constet. Exempli causa ponatur locus Liv. XLIV, 3. ubi pro turrim Eudieru, quem cepere, locum appellant, quae Grynaei ingenio debentur, cod. Vindob. offert: fuerimque dierum quem cepere locum appellantur, in quibus aliud loci nomen latere suspicor. Quid quaeris? Sive retinendum est illud ipsum Dierum, quod librarius posuit, sive potius graeca terminatione, quam Livius etiam XXXVI, 15. in nomine Callidromon servavit, scribendum Dieron, Διερόν, i. e. humidum vel madidum, omisso vocabulo fuerimque, cuius origo in extrema parte verbi posuerint, quod praecedit, a librariis, ut fieri solet, male repetita et, copula adiecta, cum antecedentibus coniuncta, quaerenda videtur. Vocabulum διερός, id quod Stephanus me docuit, hoc sensu reperitur apud Theophrast. de Caus. Plant. III, 23. διερὰν γὰρ οὖσαν καὶ βαρεῖαν τὴν γῆν ἀτμιδώδη γίνεσθαι, ubi auctores Geoponicorum III, 1. pro διερὰν perperam ἀραιὰν legisse, Schneiderus adnotavit. Sicuti autem hunc locum, in Macedonia situm, ex natura soli Dieron nuncupatum esse, probabile est, ita regio paludosa pariter ac fabulosa, quam hic proximae viciniae positam a nobilissima Nassaviorum gente nomen traxisse, plerique existimant, eandem ob causam die Nassau, vulgo die Nasse, appellari videtur. Certius est, paullo ante, ubi octtolobum, litera C puncto superimposito inducta, in cod. Vindob. legitur, atque Liv. XXXI, 36. et 40. neque cum Gryneeo Octolopum, neque cum Gelenio Octolophum, sed cum Heusingero, quem in idem mecum incidisse laetor, Ortholophum scribendum esse; praesertim quum Livius ipse graecum nomen Ὀρθόλοφος cap. 4. explicuerit per: iugum montis in angustum dorsum cuneatum. Multo magis autem incertum est, quod nomen fuerit principi legationis Rhodiorum, quem Appianus Maced. IX, 2. simpliciter Ῥοδίων τινὰ πρεσβευτὴν appellavit, quum Liv. XLII, 14. pro ac Satyrus princeps, quod Grynaeus perquam audacter reposuit, in cod. Vindob. exstet: hac falsa iturus princeps; quod quid sibi velit, alii viderint me peritiores. Atque eorundem arbitrio subiicere placet emendationem loci Liv. XLV, 27. ubi, quum in cod. Vindob. vocabulo memorabilem verba: ac silentium, subiuncta reperiantur, non improbabili, opinor, coniectura ductus scripsi: ac Palantium sive Pallantium; quae quidem verba non a librariis, ut Baumgarten-Crusius ait, sed a Grynaeo, primo horum Livii librorum editore, sunt omissa. De loco Liv. XLIV, 6. similiter depravato vid. infra not. 29.

Lin. 13. OCCULTUS] OCCULTIUS Bim. Freinshemius tamen, quem *occultis* scripsisse, Gerlachius in subiecta lectionis varietate falso retulit, recte edidit *occultus*, quod Brossius, ni fallor, pariter ac Bimardus *occultius*, cum verbo *pervenit* minus recte coniunxit, vertens: *il arriva sans être découvert.* Imo Spartacus iugis Picentinis atque Eburinis occultus, i. e. *tumulis apte tegentibus*, ut Liv. XXII, 4. loquitur, ad Nares Lucanas atque inde ad Annii Forum pervenisse dicitur. Diversa est ratio locorum Liv. XXII, 18. *Fabius medius inter hostium agmen urbemque Romam iugis ducebat*, i. e. Ernestio interprete: *per iuga ducebat exercitum*, et XXIX, 34. ubi de Scipione: *tegentibus tumulis, qui peropportune circa viae flexus oppositi erant, occultus processit.* Similia autem de Silano idem narrabit XXVIII, 2. si mecum, id quod nuper in altera Livii editione feci, rescripseris: *confragosa loca et obsiti virgultis tegebant colles*, pro *obsita* et *tenebant*, quae ferri nequeunt.

Lin. 13. 14. AD N . RIS LUCANAS] Freinshemius *ad Nares Lucanas* scripsit. Atque Bimardus etiam: „In eodem Lucaniae tractu, inquit, „inter Silarum et Craterem amnes Tabula Peutingeriana Segment. 6. recen-„set *Nares Lucanas*, novem ab Acerronia millibus, versus Silarum, et iis „conterminum locat *Forum Popilii*, inter Acerroniam et Nerulos. Inde for-„tassis supplenda et emendanda est nostra inscriptio, legendo AD NARES „LUCANAS et paullo post AD POPILI FORUM." Accusativum *Naris* non sollicitaverim: de ceteris vide notam sequentem.

Lin. 15. 16. AD ANNI FORUM] AD . NNI FORUM Bim. *ad N.. Forum* Gerl. Idem Frotscherus edidit. Subit mirari, Freinshemium quoque, cui Gerlachius lectionem *ad populi forum* falso tribuit, *ad Popili Forum* scripsisse. Verum loci ex Annio nescio quo nuncupati et nusquam alias commemorati nomen Niebuhrii diligentiae debemus. De forma genitivi *Anni*, pro *Annii*, vid. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. p. 377.

Lin. 16. 17. CULTORIB.] CUL . . RIB Bim. Quamquam alibi, v. c. Liv. XXVIII, 11. et in Salustii Historiarum fragmento, Vol. I. p. 200. ed. Frotscher. n. 96. *Apertae portae, repleta arva cultoribus*, quod Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 68. inseruit, *agri cultores* sive *agricolae* absolute *cultores* dicuntur, hic tamen eodem vocabulo, cui Brossius *les ha-*

bitans et les cultivateurs in interpretatione substituit, *incolas* significari; nemo dubitabit. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXVIII, 28, 6. et locis ibi laudatis adde Liv. XXIV, 10. *praeter adsuetos collis eius cultores.*

Lin. 17—20. AC STATIM — — MATR . . . SQ·] Hunc locum Nonius Marcellus de Proprietate Sermonis cap. 6, 44. protulit et Brossius dubitans, utrum haec ad Popilii Forum an Metapontum a fugitivis direptum pertineant, bis inseruit Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 65. et 68. Atque Gerlachius etiam: „Postrema iis, inquit, quae Non. Marc. 6, 44. laudavit, si„millima; unde haec ad tertium Historiarum librum pertinuisse recte colli„gas.“ Imo eadem sunt et integrius conservata.

Lin. 17. 18. CO . TRA] Cum Freinshemio et Gerlachio CONTRA scribendum esse, et patet, et Nonius probat.

Lin. 19. 20. AD STUPRUM UIRG.NES] AD SE UIRUM UIR..NES Bim. AD SE RIRUM UIR . . NES Schlüt. Peius etiam. Hic quoque Nonius cum Niebuhrio omnem nobis dubitationem eximit.

Lin. 20. MATR . . . SQ· ET ELUC] MATR . . ET ALII C Bim. Freinshemius haec ita supplevit: *matresque, et aliis sceleribus operam dare.* Atque olim quidem et ego, apographo Chevaneo in errorem inductus, Salustium MATRESQ· scripsisse et lectionem *matronasque,* quam Nonius offert, illius interpretationem esse putavi [24]). Promiscue enim haec vocabula ponuntur. Liv. XXVI, 13. *nec rapi ad stuprum matres Campanas virginesque et ingenuos pueros,* et XXIX, 17. *constuprant matronas, virgines, ingenuos, raptos ex complexu parentum,* atque similiter ipse Salust. Cat. cap. 51. *rapi virgines, pueros; divelli liberos a parentium complexu: matres familiarum pati, quae victoribus collibuissent.* Nunc tamen Nonii auctoritatem eo minus labefactare ausim, quo certius lacunae spatium et literae SQ·, a Niebuhrio demum additae, demonstrant, Salustium MATRONASQ· scriptum reliquisse. Extremam autem huius fragmenti partem, quum Freinshemianum: *sceleribus operam dare,* Salustianum esse nemo facile dixerit,

24) In libello, cuius titulum huius Comm. Part. I. p. 6. not. 10. adscripsi. Synonyma alibi a librariis permutata esse, docui in Epist. ad Goeller. p. 460.

apographi Niebuhriani vestigia secutus ex Liv. XXIV, 26. *quum tot ac tam validae eluctandae manus essent*, ita potius expleverim: *et eluctantes ipsorum manus trucidare.* Hoc enim, vel simile quid, ea requirere videntur, quae Salustius de nefandis fugitivorum facinoribus in fragmento sequenti enarravit.

VII.

Cf. Freinshem. Supplem. Liv. Lib. LX. cap. 5. et 6. Bross. Hist. Reip. Rom. Lib. III. cap. 63. atque Meissner. Spart. p. 36. sqq.

Lin. 2. 3. INCRESTANTES EILLUDEBANT] INGRES TANT ESE ILLUDEBANT Bim. *ingres tante set ui debacvlttur* (f. *debacchantes*) Dous. *ingre tante setui debacrittur* Putsch. Ultimum *debacrittur*, quod Gerlachius, qui literas ESE in varietate lectionis enotanda praetermisit, et Frotscherus cum editore Divionensi retinuerunt, a Cortio in *debacrlttur* atque a Schlütero Vol. III. p. 186. et 355. in *debacoritur* et *debaccrittur* mutatum est. Quantumvis licet haec omnia, quae Freinshemius omisit et Brossius ita interpretatus est, ut, quum iis substituat: *Les esclaves répandus dans cette ville s'y déchaînerent avec une telle rage*, etc. non tam Bimardum, quam Dousam secutus, INGRESSI URBEM SERUI DEBACCHANTES, quod Dousa suasit, sive DEBACCHABANTUR, legisse videatur[25]), quantumvis,

25) Vocabulum ingressi adfert mihi memoriam loci Liv. XLIII, 4. ubi Grynaeus, licet in cod. Vindob. post lacunam scriptum reperiatur: tis tantum extitit pavor ingressi castra, tamen edidit: * tantum pavorem ingressi castra, ostentantes capita, fecerunt, etc. Quae quum a codicis scriptura longius discedant, et, si tantus exstitit pavor reposueris, neque proxima: ingressi castra, illis apte coeant, neque verbum fece unt, quod sequitur, in antecedentibus habeat, quo referatur, Livium: * tis. Tantum exinde pavorem ingressi castra, ostentantes capita, fecerunt, etc. scripsisse suspicor. Etenim ex Liv. X, 26. et XLII, 60. colligo, lacunam verbis: amborum capita gestantes infixa hastis, vel: amborum capita hastis infixa gestantis, explendam esse, atque adverbium exinde, quod etiam Liv. XXIV, 42. XXXI, 4. et 6. XXXVII, 47. XL, 35. et XLII, 9. mediae orationi interponitur, ita corruptum esse, ut scripturae compendium exiñ a librario in extitit mutaretur, a vero non magis abhorrere arbitror, quam extremas vocabuli pavorem literas a sequenti ingressi esse interceptas.

inquam, haec omnia corrupta sint et triplici, ni fallor, modo depravata, facile tamen ita poterunt in integrum restitui, ut, quum Salustium NUNC RESTANTES vel NUNC RESTANTE SE scripsisse, non probabile sit [26]), INCESTANTES EI ILLUDEBANT, meo periculo reponas. Primum enim literas C et G, quarum hanc pro illa apographum Chevaneum exhibuit [27]), atque A et R alibi etiam permutatas esse, in Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 79. 80. et lin. 220. p. 415. et p. 465. docui; deinde a librario, qui INCAESTANTES, quod postea in INCRESTANTES abiit, pro INCESTANTES scriberet, hic quoque, ut lin. 18. huius fragmenti et Fr. IV. lin. 6. diphthongum AE vocali E perquam vitiose substitutum esse apparet; denique alteram pronominis EI literam a verbi sequentis litera initiali interceptam esse, non opus est, ut exemplis demonstrem, quum sexcenties hoc

26) Neque tamen dissimulo, Niebuhrii apographum hic INCRES et Fr. VIII. lin. 5. IBAIOS ita exhibere, ut prima litera pars literae U dimidia esse videatur. Quam ob rem posteriore loco, ubi certiora huius literae vestigia reperiuntur, UBAIOS reponere non dubitavi.

27) Eadem literarum C et G similitudo effecit, ut vocabula vacuus et vagus permutarentur Liv. XXVII, 16. ubi, licet codices, excepto Berolinensi, qui quidem et ipse vagus cum ceteris codicibus, sed vagans erransque cum editionibus antiquis a prima manu exhibet, ad unum omnes offerant: vagus paullo post equus errans per urbem cognitus, et Livius, id quod Fr. Gronovius ad h. l. docuit atque loco Liv. XXXIII, 15. revocari tuba iubet vagos a castris dilapsos, magis etiam probare potuisset, alibi similiter loquatur, tamen nuper coll. Liv. XLIV, 26. ubi equitum prolapsorum equi itidem vacui dicuntur, editionum antiquarum lectionem non nihil immutatam atque iam in Diss. de codicis membranacei T. Livii Pat. Historiarum libros olim complexi fragmento, Norimbergae in bibliotheca Murriana reperto, Lips. 1812. p. 10. a me commendatam: vacuus paullo post equus errans per urbem cognitus, cui oppositum: corpus nusquam inventum est, optime respondet, in altera Livii editione revocavi, quum vulgatam, cui ipsa verborum positura adversari videtur, lacteae Livii ubertati tribuere nolim. Ad eundem plane modum Schillerus in Historia belli in trigesimum annum extracti, Opp. Vol. XV. p. 153. ed. Tubing. de Gustavo Adolpho, magno magnae Christinae parente, ad Lucenam caeso haec scripsit: Bald entdeckte sein ledig fliehendes, in Blute gebadetes Ross der schwedischen Reiterey ihres Königs Fall, und wüthend dringt sie herbey, dem gierigen Feind diese heilige Beute zu entreissen.

accidisse constet. Vid. Drakenborch. ad Liv. XXIII, 8, 9. Praeterea illud etiam hanc emendationem maxime confirmat, quod hoc fragmentum cum praecedenti artissime cohaerere, ex apographo Niebuhriano nunc ita intelligitur, ut non amplius sit dubium, quin Dousa de eius argumento verissime scripserit hunc in modum: „Ita distinguo, putoque haec ad tertium Histo-„riarum librum pertinere, coniecturam faciens ex fragmento quodam supe-„riore, in eum librum a grammaticis relato, quod huic exemplo ob argu-„menti vicinitatem praepositum fuisse, suspicari lubet; ita enim illic: *Ac „statim fugitivi contra praeceptum ducis* (Spartaci) *rapere ad stuprum virgines „matronasque.*“ Ceterum haec omnia, quae in utroque fragmento memoriae prodita leguntur, non tam Nolae et in Popilii Foro vel Metaponti, id quod Freinshemius, Bimardus, Brossius et Meissnerus opinati sunt, quam in eo Lucaniae oppido, quod Annii Forum vocabatur, a fugitivis perpetrata esse, ex his ipsis fragmentis in iustum ordinem redactis intelligitur.

Ibid. SIMUL] SIM L B i m. Pro eo Gerlachius in varietate lectionis *lim l* posuit. Sed in schedis Vaticanis hoc vocabulum, quod cum extrema parte verbi *illudebant* in monstroso illo *debacvlttur* sive *debacrittur* latere videtur [28]), ita scriptum est, ut literae UL in unam figuram coaluerint.

Lin. 5. UOLNERE] *vulnere* D o u s. Gerlachius autem, quem Frotscherus non secutus est, recte *volnere* scripsit. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. I. p. 31. Verba: *perverso volnere et interdum corpus semianimum,* Freinshemius omisit, totumque locum ita immutavit: „eorum morti „*nefandum in modum illudebant,* lacera corpora, sed adhuc spirantia, ne „cito dolore defungerentur, *omittentes.*“ Ceterum nota formulam paullo rariorem: *vulnus pervertere,* i. e. *telum in vulnere versare.*

Lin. 6. 7. SEMIANIMUM] Pro vulgari *semianime.* Utrumque autem, ut alia eiusmodi vocabula, in pedestri quoque oratione promiscue ponitur. Liv. III, 57. *tollentes corpus semianime virginis,* atque XXVIII, 23. *et in*

28) Simile monstrum reperitur Liv. XLII, 66. ubi pro d e t r u d e n t i b u s, quod Grynaeus edidit, in cod. Vindob. d e i t i n e n t i b u s exstat; quod, quum librarius tertiam literam puncto superimposito induxerit, non tam in d e t i n e n t i b u s, quam in d e i i c i e n t i b u s mutandum esse, nunc demum video.

succensum rogum semianima pleraque iniicerent corpora. Cf. Drakenborch. ad Liv. VII, 21, 5. ubi hi ipsi loci adferuntur, et Ruddimanni Instit. Gramm. Lat. Part. I. p. 164.

Lin 8. 9. IACIEBANT IGNIS] IACEBANT IGNIS Bim. *iaciebant ignes* Doua. Hoc Freinshemius quoque posuit: sed Gerlachius, licet Bimardum IACEBANT edidisse, in lectionis varietate non monuerit, recte tamen *iaciebant ignis* scripsit. Vid. quae idem de hac accusativi forma adnotavit ad Salust. Cat. cap. 1. Vol. II. Part. I. p. 55. sq. et cf. nostras Adnotatt. ad Fr. IV. lin. 11.

Lin. 9. EX LOCO] Iuvat transcribere, quae ad Hirt. Bell. Afr. cap. 56. de verbis: *proxime locum Uzitae,* adnotavi: „Recte Daehnius vocem „*locum* ex omnibus omnino codicibus restituisse videtur. Alibi tamen *locus,* „ut graecum *τόπος* nostrumque *Ort,* ita de oppidis dicitur, ut nomen non „addatur. Vid. praeter Liv. I, 15. et XXVII, 30. quos locos Daehnius ad„scripsit, Liv. XXXII, 15. XLIV, 6. ex nostra emendatione [29]), et 13. „atque Salustii Fragm. Lib. III. Vol. I. p. 211. ed. Frotscher. ubi verba: „*multique ex loco servi,* referenda sunt ad Annii Forum, Lucaniae oppi-

29) Quum enim pro raptim et in classem congestis, ocius demigrare, quae Grynaeus parum probabiliter reposuit, in cod. Vindob. rapti et in classe iusto ci demigrasse legatur, atque Diodor. Sic. in Excerpt. Vales. p. 310. Tom. II. p. 579. ed. Wesseling. de Perseo rege haec habeat: Ὁ αὐτὸς τοὺς χρυσοῦς ἀνδριάντας ἀνασπάσας ἐκ Δίου, πάντας τοὺς ἐκ τῆς πόλεως ἀναλαβὼν μετὰ τέκνων καὶ γυναικῶν ἀνεχώρησεν εἰς Πύδναν, totum locum mire depravatum ita correxi, ut scriberem: Ipse, ab Dio auratis statuis omnibus raptis, ne praeda hosti essent, incolas eius loci demigrare Pydnam cogit. Paullo ante, ut in transcursu hoc addam, pro duobus ex amicis Pellam, alterum Asclepiodotum, ubi pecunia deposita erat, ex praesidiis revocat, quum in cod. Vindob. duos ex amicis pellam alterum usque ad pathum pecunia deposita erat, etc. exstare didicissem, audaciorem in loco desperato coniecturam secutus atque vitii originem potissimum in vocabulo alterum bis posito quaerendam esse ratus edidi: duos ex amicis, Pellam alterum, ubi pecunia deposita erat, alterum usque ad Parthum, ex praesidiis revocat. De Partho, urbe Illyrici vel Macedoniae, vid. Tzschuck. ad Mel. II, 3. Vol. III. Part. II. p. 340. sq. de nostra huius loci emendatione, quem Baumgarten-Crusius ex parte saltem probavit, iudicium penes viros doctos et artis criticae peritos esto.

„dum hactenus incognitum.“ Itaque non erat, cur Freinshemius scriberet: *ex locis, quae occupata erant.*

Lin. 11. 12. ABDITA A DOMINIS] In Supplementorum Freinshemianorum editione Argentoratensi legitur: *abdita dominis*, typographi errore, quem a Doniatio et Clerico repetitum Crevierius correxit. De verbo TRAHEBANT ita scripto, ut literae NT in unam figuram coalescerent, vid. Adnotatt. ad Fr. III. lin. 11.

Lin. 14. QUICQUA˜] QUICQU̅ Schlüt. Hoc operarum negligentiae tribuendum videtur. In schedis Vaticanis hic quoque, ut Fr. IV. lin. 4. in vocabulo LINGUA, literae UA in unam figuram coaluerunt. De scriptura *quicquam* pro *quidquam*, quod Freinshemius praetulit, vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. II. p. 501. sq.

Lin. 16. QUAE] QUA Schlüt. Hoc quoque typographi incuriae tribuendum.

Lin. 17. NEQUIENS] Salustius in Historiarum Lib. III. fragmento, Vol. I. p. 185. ed. Frotscher. n. 25. quod a Servio ad Virg. Aen. IX, 229. et Frontone servatum Brossius Hist. Reip. Rom. Lib. II. cap. 50. inseruit: *Ut sustinere corpora plerique nequeuntes, arma sua quisque fessi stantes incumberent* [30]. Erravit igitur Ramshornius, qui Gramm. Lat. §. 67. p. 119. dixit, has formas non nisi apud scriptores recentissimos reperiri. Freinshemius mutata verborum structura scripsit: *nequeunte prohibere Spartaco*, quod, quum in Supplementorum Freinshemianorum editionibus Argentoratensi, Parisiensi et Amstelodamensi *nequiente* legeretur, Crevierius reposuit.

Lin. 18. 19. MULTIS PRAECIB· QUO MORARET] MULTIS PRE-

30) Haec lectio, quam editio Divionensis exhibet, utique praeferenda est cod. Ambros. lectioni: arma sua quisquis instans incumberet, quam Maius in Frontonis Opp. Part. II. p. 522. protulit. Vides enim, primum verba: QUISQUE FESSI STANTES, librarii negligentia in QUISQUIS INSTANS abiisse et deinde incumberent in incumberet mutatum esse. Apud Servium legitur: fessi arma sua quisque stantes incumbere, atque Gerlachius Vol. I. p. 236. vocabulum fessi, quod coll. Liv. XLIV, 53. non displicebit, uncinis inclusit et edidit: arma sua quisque stans incumberet. Neutrum tamen illi, quod posui, praeferendum censeo.

CIB· QUO MORARET Bim. *multis precibus cum oraret* Doua. Ita etiam Liv. II, 2. *eadem multis precibus orant.* Pariter atque hoc loco Liv. XLII, 22, 7. XLIII, 4, 2. atque XLV, 10, 6. et cap. 11, 6. in cod. Vindob. *praecibus* pro *precibus* scriptum est, et XLI, 20. corrupte *praedis* pro *praetiis* sive *pretiis*, quod vulgato *praemiis* substitui. Vid. Adnotatt. ad huius fragmenti lin. 3. 4. Vocabulum QUOM a Gerlachio retentum, pro quo Fr. I. lin. 10. CUM legitur, ut librarius perperam divelleret, verbum ORARET effecit. Salustium enim QUO MORARET sive MORARETUR scripsisse, ut existimem, adduci nequeo. Vid. Adnotatt. ad Fr. I. lin. 19. 20. ubi *quom volentibus* pro *cum volentibus* scriptum est. Freinshemius non tam editoris, quam interpretis officio functus posuit: *quamquam multis precibus oraret.*

Lin. 19. 20. CELERITATE PRAEUERTERE . . . . . S NUNTIOS] CELERITATE PRAEUERTERE.... NUNTIOS Bim. *celeritate praevertere* **** *nuntios* Doua. *celeritate* **** *nuntios* Putsch. Freinshemius *celeritate praeverteret nuntios*, et Gerlachius etiam, qui verbum *praevertere*, a Frotschero quoque omissum, recte addidit, minus recte *nuncios* scripsit, eodem Frotschero non refragante. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. I. p. 250. Lacuna ita videtur explenda, ut CELERITATE PRAEUERTERE MISSOS NUNTIOS, reponamus et verbum *praevertere* per *iter praecipere* explicemus. Liv. III, 46. *sedulo tempus terens, dum praeciperent iter nuntii missi in castra.* In schedis Vaticanis tamen non nisi superior literae S particula manus impias effugit.

VIII.

Lin. 4. 5. CRUDE-L] Haec connectenda esse apparet. Nam quae supersunt literae, vocabulum CRUDELIS vel CRUDELITAS hic olim exstitisse, perspicue docent.

Lin. 5. . UBAIOS] Pars literae primae dimidia est abscissa. Sed haud dubie SUB scribendum. Quid autem fiet literis AIOS, quae sequuntur?

Lin. 6. 7. PLE-R . .] Et haec cohaerent, sive PLERIQ· sive PLERUMQ· scriptum fuisse dicas.

Lin. 7. 8. ILLUM DI-EA . . . . NOCTEM] Quum de vocabulo

NOCTEM, licet prima literae N particula rescissa sit, dubitari nequeat, perquam probabile est, literas EA in EM mutandas et DIEM scribendum esse. Vid. Adnotatt. ad Fr. II. lin. 8. Quae sequuntur literae IB, ut IBI reponamus, suadere videntur.

Lin. 9—11. DUPLI-CA . . . . ORUM NU-ME . .] Haud scio an DUPLICATO ARMATORUM NUMERO scribendum sit. Vid. Adnotatt. ad Fr. III. lin. 16.

Lin. 11. 12. . RIMA CU˘ LU . .] Non est, quod dubites, PRIMA CU˘ LUCE reponendum esse. Cic. Off. III, 31. et Epp. ad Att. IV, 3. *cum prima luce.*

Lin. 12. . N CAMPO] Una litera adiecta IN CAMPO scribendum esse, manifestum est.

Lin. 13. 14. EDIFI-CIS] Haec cohaerebunt, si librarium EDIFICIS pro AEDIFICIIS posuisse statuas. Vid. Adnotatt. ad Fr. I. lin. 2.

Lin. 14—16. ET TUM MAT . . . . S ERANT AUT . . . . NTA] Quamquam in eiusmodi locis omnis coniectura lubrica est ac periculosa, has tamen lacunas per ET TUM MATURA IN AGRIS ERANT AUTUMNALIA FRUMENTA, i. e. *frumenta aestiva, quae sub auctumno maturescunt et metuntur,* commode suppleri posse putaverim. Similiter Livius XXXI, 2. verba: *iam enim maturae erant segetes,* narrationi interposuit. Praeterea cf. Liv. II, 5. atque Caes. B. C. III, 81. et quae ibi adnotavi.— Haec anno superiore de hoc loco commentatus sum. Nunc tamen certum habeo, Salustium AUTUMNI FRUMENTA scripsisse, quod, quum lacunae spatio magis accommodatum videretur, primo quidem probabam, deinde autem, quum coll. Plin. H. N. XV, 15. XVI, 26. XVIII, 7. et XXI, 4. atque Ovid. Met. VIII, 665. *auctumnalia frumenta* rectius dici existimarem, reprobabam. Nollem factum. Etenim Porphyrio, id quod Obbarius, de anonymi libello, cuius titulum infra not. 31. adscripsi, in Ephemeridibus scholasticis, a. 1829. Sect. II. No. 40. p. 324. sqq. breviter exponens, me docuit, ad Horat. Epp. II, 1, 140. *Condita post frumenta,* haec adnotavit: „Utrum post messem, an post vindemiam? Nam et *autumni frumenta* Sa„lustius dixit.“ Quam quidem adnotationem, a fragmentorum Salustiano-

rum editoribus praetermissam, ad hunc ipsum, quem tractamus, locum pertinere, non est, quod dubites. Itaque Nonii Marcelli testimonio, quo has operis historici particulas Salustio adsignandas esse, huius Comm. Part. I. p. 4. sq. demonstravi, Porphyrionis quoque auctoritas accedit.

Lin. 17. 18. GNA-RI] Haec igitur ita, ut GNARI legas, coniungenda sunt. De versu priori ultra ceterorum terminos proiecto vid. Adnotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. lin. 150. p. 435.

Lin. 18. . . UMORUM] Morem Salustii, *maxumorum, optumorum, proxumorum* etc. scribentis, ex hoc quoque loco et Fr. V. lin. 18. reliquiis, quae UMI offerunt, facile cognoscas. Vid. Schneideri Gramm. Lat. Part. I. Vol. I. p. 18. sqq.

Lin. 19. . . UENTA] Utrum CRUENTA, an INUENTA scribendum sit, nemo dixerit.

Lin. 20. . . MNIB·] Scribe OMNIB·, i. e. *omnibus*. Ceterum, ut cum Euripide loquar,

Οὐ μάντις εἰμὶ τἀφανῆ γνῶναι σαφῶς.

Sed inter criticos quoque versari quandam divinationem, id est, veri coniectura indagandi scientiam, eo minus fallacem, quo plures hanc divinandi rationem ingressi mentis aciem ad idem intendant, uti manifestum et confessum est, ita haec ipsa Salustii Historiarum Fragmenta [31]), in quibus

31) Eadem anonymus, non nostram, sed Gerlachii editionem secutus, inseruit libello sic inscripto: C. Sallustii Crispi Historiarum Fragmenta, prout Car. Brossaeus ea collegit, disposuit, scholiisque illustravit. Iulii Exsuperantii Historiarum Sallustii Summarium. Accedit spicilegium fragmentorum, a Brossaeo reliquisque editoribus praetermissorum, vel nuper detectorum. Lunaeburgi, 1828. p. 60. sqq. Quod qua fide ac diligentia fecerit, ex varietate lectionis accurate enotata, quam, quum libellus ille absoluto hoc opusculo ad me perlatus esset, hic subiungendam esse putavi, manifesto apparebit.

Fr. I. Trequii] t r e q u i i — s . r . . ciem necessariam] s r c i e m b e l l o n e c e s s a r i a m — flagitia] f i a g i t i a. Fr. II. Magnis operibus communita] S p a r t a c u s t e n e t s u o s i n t r a c a s t r a m a g n i s o p e r i b u s c o m m u n i t a. Huius loci supplementum anonymus petiit ex libello a. 1811. a me edito, p. 14. — militiae] m i l i-

emendandis ac supplendis operam consumpsi, novo eoque maxime luculento exemplo comprobabunt. Has enim operis praestantissimi reliquias ab Ang. Maio, indefesso codicum antiquissimorum investigatore, ex ipsis schedis Vaticanis, quarum apographum Niebuhrius mecum communicavit, haud ita pridem editas esse, primum ex literis, a Spangenbergio, iurisconsulto eruditissimo, ad me datis, deinde ex Ephemeridibus literariis Halensibus (*Intelligenzblatt der Allgemeinen Literatur-Zeitung*, 1829. No. 26. p. 201.) tum demum intellexi, quum hic libellus ex parte plus dimidia typis esset descriptus. Quemcunque igitur fortuna dabit eventum, iacta alea esto. Sicuti enim ante hos quindecim annos in carminis latini fragmentis ex volumine Herculanensi evulgatis probabiliter reparandis cum Nic. Ciampettio non sine gloriolae fructu (absit verbo invidia) aemulatus sum, ita nunc quoque cum

tiae vigilias — bucinatore] Relicto bucinatore. Vocabulum relicto a Gerlachio et Frotschero omissum esse, supra p. 17. monere neglexi. — fulta] fulta palis — crebro ignis] crebros ignes. Fr. III. In s . converterent] In se converterent. Hoc probari non posse apparet. — strepitus] strepidus — undiq . .] undique. Hoc fragmentum nescio quam ob causam p. 112. ita repetitum est, ut, praeterquam quod pro tire vesti in pra tire verti abiit, Gerlachii exemplo per omnia conveniat. Fr. IV. Varinius] Varinus — silentis] silentes — sumentis praelium] sumentes proelium — Gallis et Germanis] Gallis atque Germanis. Fr. VI. timili ruit . . . . ceps] timi ruit . . . . . princeps. Editorem a scopo aberrasse patet. — malisq. pe . . urio egrediantor] malisque penuriove egrediantur. Saltem penuriave scribendum erat. At sic quoque consilii penuria laborabimus. — pri . . quam religio exercitu adesse] priusquam cum reliquo exercitu adesset — Varinius augertur numero selectis vir et] Varinius. Cetera omisit editor, Freinshemii Supplementis Livianis in errorem inductus. — nactus idoneum et callivis ducis] nanctus idoneos ex collibus duces. Hoc quoque debetur Freinshemio, qui tamen callibus scripsit. Eadem vocabula etiam a librariis permutata esse, Drakenborch. ad Liv. XXXI, 42, 8. docuit. — et centinis] Picentinis — Eburnis] Eburinis — occultius] occultus — n . ris Lucanas] Nares Lucanas — ad N . . Forum] ad Popili forum — cul . . rib.] cultoribus — rapere ad se virum vir . nes matr . . . et alii c] rapere ad stuprum virgines, matres et aliis sceleribus operam dare. Sicuti in praecedentibus, ita hic quoque editor Freinshemium temere secutus est. Fr. VII. * ingre , tante setui debacritur] Ingressi tanta feritate debacchantur. Editorem opinione falli, nemo non videt. — perverso] pervorso — ignis] ignes — quom oraret] cum oraret — praevertere nuncios] praevortere . . . . . nuntios. Haec raptim adlevisse sufficiat.

Ang. Maio, graviori sane adversario, compositus hanc laudis et gloriae aemulationem honestissimam ac liberalissimam non defugiendam, sed alteram huius commentationis partem, ne Iliadem, ut aiunt, post Homerum scripsisse viderer, hac data occasione emittendam esse putavi, ut, uter nostrum in his operis Salustiani fragmentis ordinandis et inter se coniungendis atque in singulis eorum locis emendandis et explendis rem acu tetigerit, liquido pateret. Quum primum autem Romanam horum fragmentorum editionem, nostris in terris haud facile parabilem, nactus fuero, eius fontibus, ni spes destituat, hortulos meos ita irrigabo, ut hoc opusculum, de quo virorum doctorum iudicia eo cupidius exspecto, quo saepius forsitan in tanta rei obscuritate erravi, plenius ac perfectius operum Salustianorum editioni a Frotschero inchoatae aliquando adiiciatur; sic tamen, ut, quas illi passim sive inserui, sive in notis subieci locorum Livianorum emendationes [32]), omittantur et maiori huius scriptoris editioni nondum absolutae reserventur. Has enim, quum res ipsa admoneret, propterea addidi, ut partim viri artis criticae gnari, quid in extremis potissimum Livii libris a me passim emendatis vel codicis Vindobonensis auctoritate vel coniecturae probabilitate nitatur, ex hac adnotationum veluti promulside perciperent, partim iuvenes nobis in disciplinam traditi, quos et ipsos mature huius artis praeceptis imbuendos esse censeo, adfatim materiae haberent, in qua sagacioris ingenii vires periclitarentur.

Quod reliquum est, more recepto in diem perendinum indicimus anniversaria Scholae Afranae sollennia, ita quidem celebranda, ut, quum superiori quoque anno plurima et maxima ex perenni divinae benignitatis fonte in nos redundarint beneficia, novem disciplinae nostrae alumni, communis omnium pietatis testes et interpretes futuri, prius quam annua discipulis virtute ac doctrinae conspicuis praemia tribuantur, oratiunculas et carmina hoc deinceps ordine sint recitaturi:

Rudolphus Mauritius Fischer, Wilmsdorfiensis, literas artesque bonas, nisi in recessu et pacis tranquillitate, coli non posse, oratione latina demonstrabit.

32) Quo facilius commodiusque de his iudicari posset, indicem locorum Livii, de quibus obiter in hoc libello agitur, in extrema eius pagella adieci.

Augustus Theophilus Wilhelm, Haynensis, Aeschyleum illud: *Ἀνδρῶν γὰρ ὄντων, ἕρκος ἐστὶν ἀσφαλές*, carmine graeco eoque lyrico explicabit.

Paulus Roemisch, Lipsiensis, in praeteritorum recordatione et futurorum exspectatione magnum ad fortunam adversam aequo animo ferendam momentum esse, carmine vernaculo docebit.

Carolus Fridericus Comes a Rüdiger, Curia-Variscus, artium et literarum scientiam nostra potissimum aetate magnis auctam esse incrementis, oratione francogallica ostendet.

Georgius Fridericus Wehner, Auerbaco-Variscus, Germanos gentis suae virtutibus iure meritoque gloriari, oratione vernacula declarabit.

Carolus Guilielmus Gebert, Olbernhaviensis, Horatii sententiam: *Nil sine magno vita labore dedit mortalibus*, carmine latino eoque elegiaco persequetur.

Hermannus Iacobus L. B. ab Uckermann, Weesensteiniensis, Schilleri versus: *Das Leben ist der Güter höchstes nicht; der Übel grösstes aber ist die Schuld*, carmine vernaculo interpretabitur.

Guilielmus Fridericus Hoffmann, Stolpensis, Hesiodeum illud: *Τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν*, carmine graeco eoque elegiaco explicabit.

Henricus Robertus Ficinus, Dresdensis, qui factum sit, ut in Graecorum pariter ac Romanorum civitatibus post auream artium ac literarum aetatem mores praecipites ire et reipublicae opes senescere coeperint, oratione latina aperire conabitur.

Hos igitur optimae spei iuvenes, literarum atque honestatis studio valde commendabiles, ut pro ea, qua saepe alias gavisi sumus, benevolentia frequentes auditum venire et sollennia pro Regis Augustissimi eiusque amicorum salute atque huius Scholae et patriae universae incolumitate nobiscum nuncupare velint, omnes omnino, qui nobis nostrisque rebus favent, ita rogamus atque obsecramus, ut huius officii, quod illos studiorum humanitatis ac literarum amore ductos haud gravate peracturos esse speramus, memoriam nulla unquam oblivione obrutum iri praestemus. Scr. in Schola Regia Afrana ipsis Calendis Quintilibus CIƆIƆCCCXXIX.

INDEX LOCORUM LIVII,

DE QUIBUS OBITER IN HOC LIBELLO AGITUR.